QUAESTIONES DE TRILOGIA TRAGICA GRAECORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN
ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIX MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCLXVI
H. XI L. C.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

EUGENIUS RADEMACHER
DARKEHMIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES AGENT

A. SCHROEDER, CAND. PHILOL.
E. PLEW, SOD. SEM. PHILOL.

REGIMONTI PR.
TYPIS EXPRESSIT GRUBER ET LONGRIEN. (G. LONGRIEN.)

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

PROF. DR. K. LEHRS

PROF. DR. L. FRIEDLÄNDER

PROF. DR. O. SCHADE

STUDIORUM ACADEMICORUM MAGISTRIS
DOCTISSIMIS ET LIBERALISSIMIS

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

ARGUMENTUM.



Etsi per multos deinceps annos viri docti trilogiae generi reputando et accuratius perlustrando tantam diligentiam tantamque operam navaverunt, ut ex his studiis una cum ceteris laetius efflorescentibus plurimum fructus perceperimus, tamen ne sic quidem, quae in hoc genere praestari et decet et necesse est, omnia jam perfecta atque absoluta esse constat, sed multa adhuc relicta ab illis viris quamvis sagacibus, de quibus aut omnino non aut certe parum copiose subtiliterque disseruerunt. Quod quidem eo minus mirum est, quo pauciores ex naufragio illo literarum antiquarum ad nos pervenerunt reliquiae; unde non modo de universa re disceptare, sed ne de singulis quidem hujus quaestionis partibus praefracte quidquam statuere licet.

Oblata igitur nunc opportunitate, quoniam pro juvenili facultate hanc rem, quantum poteram, inquirebam, si quae legentibus hoc loco proposuero, si non omnia, at certe aliqua blandius benigniusve excipiantur, magnam inde me laetitiam capturum esse profiteor. Scio autem nec diffiteor, quam lubrico in argumento verser, in quo saepius quam vellem necesse sit „hypothesibus" uti.

Scriptores veteres nomina tradiderunt duo, tetralogiae et trilogiae, quorum nominum illud saepius invenitur. Quo autem tempore utraque ista vox in usum communem venerit, etsi parum compertum est, tamen pro verisimili habendum sit, ex eo tempore illud accidisse, ex quo quatuor fabulae una eademque actione doceri coeptae sunt, i. e. ex Aeschyli aetate. Λόγος vero sive sermo quum et propria vi pronun-

ciationem actoris, qui de λογείῳ, quod Graeci vocant, apud spectatores verba facit, et translata notione totam significet fabulam, facile factum est, ut ternarum sive quaternarum fabularum compositio τριλογία sive τετραλογία nominaretur.

Atque quamquam de trilogia disputare nobis propositum est, ab initio tamen hujus dissertationis tetralogiae voce potius uti libet, quia a scriptoribus, qui supersunt, multo saepius illa usurpatur quam trilogiae, ex qua quidem disquisitione nostra generis ratio trilogici, ut spero, non minus perspicue intellegatur quam tetralogiae.

Ac primum quidem, **quid sit tetralogia**, diligentius definiendum statuendumque mihi videtur. Aeschyli igitur, Sophoclis, Euripidis temporibus more usitatum legeque etiam praescriptum fuisse Athenis constat, ut magnis Dionysiis terni poetae ternis diebus, qui ludis scenicis edendis dabantur, ternas tragoedias producerent et fabulam satyricam, vel id quod postea fecit Euripides, si quidem recte hoc nunc ita creditur, pro hac satyrica tragoediam paullo hilariorem, qualis est Alcestis.

Vocatam vero esse tetralogiam Boeckhius, God. Hermannus, Gruppius, Dindorfius, viri doctissimi, quadripartitas didascalias omnes putabant, sive conexae illae inter se fabulae fuissent, sive non nexae (Boeckh. Ind. lect. Berol. 1841/42 hib. p. 4). Quam quidem ad sententiam demonstrandam Boeckhius testimonio Thrasylli nititur, de quo Diogenes Laertius III. 56 haec tradit: Θράσυλλος δέ φησι καὶ κατὰ τὴν τραγικὴν τετραλογίαν ἐκδοῦναι αὐτὸν (Platonem) τοὺς (suos) διαλόγους, οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, ὧν τὸ τέταρτον ἦν σατυρικόν· τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο τετραλογία.

At illo loco norma Boeckhii et ceterorum cum eo idem contendentium minime confirmatur. Nam Platonis libros eos, qui in eodem vel cognato argumento versarentur, ad similitudinem tragoediae in trilogias aut tetralogias a viris doctis compositos esse legimus, quo in numero Thrasyllum Diogenes tradit Platonis dialogos ad communem pluribus conexum rerum (κατὰ κοινὴν ὑπόθεσιν), in tetralogias conso-

ciasse, Aristophanem vero Byzantium non tetralogico, sed trilogico ordine instituisse, quia ab illis dialogis satyricum genus multum abhorrere sibi persuaserat. Unde satis patet, trilogiam loco illo intellegendam esse compositionem ternarum fabularum earumque inter se cohaerentium. Thrasyllus autem κατὰ τὴν τραγικὴν τετραλογίαν conjunctos dialogos editosque a Platone ipso esse ratus, quum eodem modo restituendum sibi ordinem existimasset, non ternos, sed quaternos sermones eosque non diversi, sed similis argumenti edidisse fertur. Quapropter Boeckhii sententiam non modo non confirmatam esse apparet, verum etiam refutatam, quia tetralogia simili modo, quo trilogiae vim definivimus, nihil aliud significare potest nisi quatuor dialogos ad unum tamquam corpus revocatos.

Jam vero in omnibus, quarum memoria adhuc superest, quadripartitis didascaliis nomen tetralogiae ab antiquis scriptoribus inditum esse eis solis reperimus, quae aut ipsis rebus et argumento aut arte et ratione inter se cohaereant. Nunquam, quod quidem casui tribuendum non videtur, tetralogia quaternae fabulae nominantur, quae nullo modo ipsis copulentur rebus.

Tertio autem argumento, quod Boeckhianae illi sententiae repugnat, locus hic est, quem in Suidae vita Soph. invenimus: ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν, quibus verbis ille significat, consuetudinem Aeschyleam quaternas vel ternas ejusdem argumenti fabulas inter se conjungendi oppositam esse legi a Sophocle et institutae primo et constanter servatae, singulas fabulas non ipsa re nexas producendi.

Denique scholiastes Ran. 1155 vocem Aristophanis ἐξ Ὀρεστείας hac interpretatione illustravit: τετραλογίαν φέρουσι τὴν Ὀρέστειαν αἱ διδασκαλίαι Ἀγαμέμνονα Χοηφόρους Εὐμενίδας Πρωτέα σατυρικόν· Ἀρίσταρχος καὶ Ἀπολλώνιος τριλογίαν φέρουσι χωρίς τῶν σατυρικῶν. Atqui trilogiarum fabulae, quemadmodum Orestia testatur, rebus, sententiis arteque conjunctissime inter se cohaerebant et quasi in unum corpus coalue-

runt. Ergo ex scholio illo ipso facile colligas, tetralogiam ab antiquis scriptoribus fabulas quatuor unius didascaliae vocatas esse, quae quidem ipso argumento inter se conjunctae essent.

Quae quum ita sint, tetralogia ea didascalia quadripartita vocari possit sola, quae ternas tragoedias perpetuitate vel actionis vel argumenti cohaerentes complectatur et fabulam satyricam similis cum illis materiae, aut pro hac quidem satyrica tragoediam. De eis autem fabulis quaternis, quae continuo deinceps rerum ordine carent, nihil aliud quam quaternos titulos legimus, ex quibus communis didascalia efficitur, tetralogiae vero nomen additum non est. Et jure nos quidem censemus, titulis tantum quaternis a scriptoribus appellatas illas esse. Quamquam sic facile fieri potuit, ut homines minus eruditi quaternarum fabularum didascaliam quamque tetralogiae vocabulo appellarent. Doctiores autem, qui artem tragodiae accuratius subtiliusque perspexerant, sine dubio senserint aliter. Atque utinam nostris tandem temporibus viri eruditi omnes, translata illa significatione omissa, hanc potius legem sequantur, quam Welckerus jam dudum scite proposuit.

Sed de tetralogiae quidem notione hactenus. Jam, unde deflexit oratio nostra, ad Aristarchum redeat cum, quem scholiastes auctor est Orestiam appellasse **trilogiam.** Is igitur, vir doctissimus quique artem poeticam atque sermonem patrium longe optime omnium, qui tum erant temporis, complectebatur scientia, ad Orestiam tetralogiae vocem parum idoneam aptamque esse ratus ut vitaret, praeciso ex qualibet didascalia quadripartita dramate satyrico (χωρίς), reliquarum tragoediarum compagem trilogiae vocabulo nominabat. Nam quod Gruppius (Ariadn. p. 41) ait, Aristarchum Orestiam sine fabula satyrica ab Aeschylo doctam existimasse trilogiasque nec antiquis temporibus appellatas esse nec hodie rite appellandas ternas tragoedias inter se conjunctas nisi eas, quae fabula satyrica carerent, hoc quidem neque ex loco illo concludi potest ipso, et institutum illud

lege sanctum, ex quo ternae tragoediae cum satyrica quotannis darentur, nisi lege illa commutata, poetarum arbitrio commutari non poterat, nec aequis animis spectatores ipsi satyricas praetermissas abjectasque passi essent. Quaternas denique tragoedias, quemadmodum postea Euripides, Aeschylus nondum produxit.

Nec de una Orestia, quae quidem aut casu quodam, aut ideo, quod Proteus satyrica cum tragoediis illis non esset conjuncta, trilogia dici potuit, Aristarchus illud mihi videtur statuisse, sed omnibus in fabulis consulto et de industria tetralogiae vocabulum praetermisisse, recepisse vero trilogiae. Idem hoc, quod Aristarchus, sensisse Aristophanem Byzantium, quum Platonis sermones ad trilogiae tamquam corpus redigeret, Diogenes Laert. testatur. Hi igitur grammatici tetralogiae vocem usurpatam esse non putarint, nisi satyrica cum trilogia artificiose esset conjuncta. Quod quum re vera aliquando fieri posse non existimarent, vocem tetralogiae videntur rejecisse omnino. Quid multa? Obstabat altera, quemadmodum affert scholiastes, sententia alteri, quoniam alii satyros rebus ac sententiis jure riteque conjungi posse cum tragoediis putabant, alii, omissa satyrica, reliquarum fabularum compagem vocabant trilogiam. Aristarchus quidem satyros cum tragoedia nihil habere commune aut conjunctum intellexit, alii vero, rationem tragicam minus complexi cogitatione, genus illud hilarius cum tragoediis prorsus cohaerere sibi persuaserant. Verum hi quidem minus recte, rectius veriusque Aristarchus. Namque cohaerendi caussa nulla exstat, quia indoles tota atque habitus utriusque generis tam sunt diversa atque sejuncta, ut nec re nec sententiis ac ne arte quidem apte illa ullo modo inter se copulari possint. Etiamsi enim ex eadem mythorum materia ac tragoediae sumebatur satyrica, hoc vinculum tamen remissius laxiusque est, quia in breviore illa hilarioreque fabula, quippe quae, animis spectantium vi et gravitate tragoediarum praecedentium satis intentis atque incensis, tamquam relaxandi et delectandi caussa praebe-

retur, personas modo in sublimibus cothurnis introductas jam illudi non decebat.

Qua de caussa ne illud dubites, quin res in satyrica, plerumque in argumento aliunde sumpto versata ac trilogia, inchoatae in tragoediis continuatae sint nunquam. In quo maxime dolendum est, neque Aeschyli satyricarum nos habere ullam neque aliquam nisi Cyclopem, ex qua tamen fabula hujus generis vis plane percipi non potest. Jam vero veteres grammatici plerique, a quibus Aristophanes et Aristarchus prudenter discesserunt, si tetralogiae nomine potius quam trilogiae usi sunt, non dubitabimus, quin hoc externa caussa commoti fecerint, quia sane satyricum drama cum tribus tragoediis una didascalia producebantur. Quod improbandum. Et vellemus nostrates ab eo usu destitissent, postquam a Welckero jam vis trilogiae, quae qualisque sit, satis illustrata est. Quin etiam neglecta omnino trilogiarum ratione, tetralogiae solius respectum habent nonnulli, in quibus God. Hermannus nominatim appellandus est. Nos vero ipsi, gravissimum Aristarchi exemplum secuti, tetralogiae voce omissa, trilogias consideremus solas, et ipsa re et arte inter se cohaerentes.

Jam, quoniam trilogiae vocabuli vis satis explanata nobis videtur, satyricarum notio quum a quaestione ea, quam instituturi sumus, aliena sit, ut naturam hujus generis planius perspiciamus, **quando, quibus de caussis, a qua origine trilogia orta sit**, disseremus, de qua quidem re ex antiquis temporibus nihil certi accepimus. Verum, quid conjecturis plus minusve certis ad veritatemque accedentibus consequi possimus, circumspectius hoc loco videamus. Omnium igitur primum, subito similibusque rebus praecedentibus nullis illam rem potuisse accidere, viri docti eo minus existimaverunt, quia in sollemnibus ludis publicis ars tragoediae tam aequaliter progressa atque exculta esset, ut, quae semel instituta essent, ea retenta diu atque servata suspicari liceret. Quonam autem trilogiae genus ortum sit tempore, plurimi illorum perspectum sese habere negant. Et profecto, quum de Aeschylo ipso permulta abdita lateant,

quanto magis hoc de temporibus eis, quae ante illum fuerunt, pronunciandum est? Quapropter, quae de illis ex monumentis literarum antiquis certiora colligi possint, pervestigemus, pervestigata componamus.

Etenim, religione cultuque divino fundata **tragoedia, ex parvis exilibusque principiis orta**, paullatim efflorescebat laetius, denique ad summum cumulum elata, perfecta, consummata est. Primo enim magnis feriis sollemnibus Dionyso, deo vini verisque, actis res ab illo ipso gestae a choro saltantium cum laude canebantur, quale carmen Graeci dithyrambum vocabant. Postea dux catervae cum choro colloquebatur, unde diverbiorum alternatio effecta est. Illis quidem carminibus per longum jam tempus vigentibus, modo laetitia exsultans et libido lasciviens, modo tristissima gravitas et severitas morosissima enituit. Ex illo genere satyrica fabula et comoedia ortae sunt, ex hoc tragoedia ipsa initium coepit. Jam vero de aliis quoque et deis et hominibus fictae fabulae a poetis sumebantur, quodammodo cum Dionyso conjunctae, quae sensim magis magisque a consilio illo primitus inito discedebant, deo ipso, cujus facta satis celebrata et consumpta videbantur, nonnunquam neglecto, ad quem posterioribus temporibus satyros solos pertinere poetae voluerunt.

Atque Thespidis quidem tempore, qui primus Pisistrati aetate 535 fere anno a. C. n. Athenis tragoediae genus invenit ad artisque rationem revocavit, certamina poetarum scenica nulla fuisse, Plutarchus in vit. Sol. 29 testatur. Illum vero poetam, quem fabulas subito ex temporeque produxisse tradit Aristoteles, aemulos discipulosque, haud ita multo post secutos, quotannis fabulas magnis Dionysiis commisisse recte suspicere. Neque tamen tum per triduum eas, sed per unum diem actas esse censeamus, qui dies pro feriarum exiguitate paucitateque poetarum abunde suffecit. Denique Pisistratidae, quum, ut plerique tyranni, ita ipsi ad principatum amplitudine atque decore ornandum literis ingenuis alendis maxime faverent, publice praemia eis decreverunt, qui in certamine tragico vicissent, unde summam

profecto laudem ac gratiam perceperunt omnium. Nam ἀγὼν in Graecia semper optimus et erat et habebatur tamquam magister artis et cultor. Ac ne expulsis quidem tyrannis praemia illa sublata atque exstincta sunt, sed quoniam ars ludicra apud Graecos, ex pia atque sollemni deorum veneratione profecta, publice sancta erat, omnes res scenicae archontis, summi magistratus reipublicae, judicio atque auctoritati traditae sunt. Illisque temporibus unam quisque poeta fabulam docuerit, modo hilariorem quasi satyricam, modo graviorem, i. e. tragoediam, quamquam Thespidis et ceterorum usque ad Phrynichum poetarum fabulae in Dionysi rebus ac satyris laetissimis ridiculisque multo magis versabantur quam in mythis gravioribus. Tum decursu temporum satyris a tragoedia sejunctis, proprium hoc genus fabularum exstitit, quod praeter tragoedias ipsum per se datum esse suspicemur.

Ac primum quidem ex Thespidis aetate certamen tragicum coortum esse anno 524, quo anno Choerilus vicit, Suidas testis est. Ex quo tempore praemia publica in annos singulos tribuebantur eis, qui vicerant. Pratinam vero, satyrorum auctorem, qui semel omnino vicit anno 500, et Choerilum, qui victorias scenicas reportasse dicitur XIII, trilogiae genere jam usos esse, vix quisquam contenderit. Tradit autem Suidas, Pratinam sexaginta fabulas composuisse, in quibus satyricas fuisse triginta duas. Quarum quidem fabularum numerum Boeckhius, quia in tanta illarum copia tam raro eum vicisse parum sibi persuadere posset, in XII convertit, sed certe injuria. Quodsi numerus ille a Suida recte refertur, alia videlicet ratione Pratinas, Aeschylus alia utebatur, quia aut cum singulis tragoediis conjunctae satyricae, aut per se ipsae productae ab eo videntur singulae, quod quidem de Choerilo, rege tamquam illo parenteque satyrorum, etiam verisimilius est.

Jam vero ad **Phrynichum**, Thespidis discipulum, transeamus, quem anno 512 in scenam prodisse, certasse cum Choerilo anno 482 Suidas memorat.

Eorum autem, qui in hanc rem accuratius inquisiverunt, omnium primus hoc loco nominandus est **Droysenus**, quamquam hic argutius, opinor, quam probabilius disseruit libello: Phrynichus, Aeschylus und die Trilogie (Kieler Stud. 1843). Hic quidem, nescio an Welckeri sententia inductus, summam Aeschyli compositionis trilogicae jam apud Phrynichum inveniri affirmat, qui in una tragoedia tres choros diversos habuerit atque illos quidem deinceps inter se excipientes progredientesque ita in scenam, ut tamquam tres actus unam fabulam continuatam consummatamque efficerent. Neque igitur aliud esse Phrynichi tragoedias nisi initia quaedam ac semina rationis Aeschyli, qui tres illos actus ad trium tragoediarum ambitum ditatarit. Quod si verum esset, profecto non minus esset mirum quam grave. Firmis vero argumentis illud caret omnibus. Nihilominus non defuerunt, qui opinioni isti assentiendum sibi esse putarent, quo ex numero praeter ceteros nominatim appello Dindorfium.

Droysenus igitur ipse auctoritate Suidae nititur, qui novem tragoediarum nomina Phrynicho tributa affert. Deinceps vero subsequenti loco alterum Phrynichum ille commemorat tragicum, Melanthae filium, de quo nihil certius notum est. Inde facile in eam opinionem incidimus, Suidam, quoniam satis inepte parumque prudenter libros excerpsit, excerptos conscripsit, neque raro maxime diversa inter se atque disjuncta permiscuit, postquam novum nomen Phrynichi patris, cui ipsi duo erant nomina alia, Polyphradmonis et Minyrae, casu quodam invenit, ex ejus filio alterum Phrynichum tragicum finxisse, praesertim quum antiquis jam temporibus Phrynichi tragoediae magnam partem deperissent ipsae titulique memoriae traditae non essent. Nam Phrynichum, praeclarum eum poetam, quum tantus numerus tragoediarum aliis poetis multo inferioribus illo attribuatur, tam paucas composuisse fabulas ipsum, parum credibile est. Ad superiores igitur illos titulos novem duobus eis, qui alii cuidam Phrynicho adscribuntur, additis aliisque a Suida neglectis, cujusmodi sunt Expugnatio Mileti et Phoenissae,

Leutschius in Philol. XIV. p. 187 novem tragoedias effecit, duplicibus titulis singulas inscriptas, quae quidem a duplicibus choris actae essent. At nimis confidenter ille et audacter locum eum emendavit, nec inveniuntur in tragica arte Graecorum dilogiae, ut ita dicam, quippe quae arti ipsi repugnent.

In numero igitur illo a Suida relato tres titulos nos habere dramatum Droysenus statuit eorum, quibus una fabula eaque tamquam trilogia contineretur: Δίκαιοι ἢ Πέρσαι ἢ Σύνθωκοι, quae quidem fabula Phoenissarum et Aeschyli Persarum affinis fuisset. Et mirum, ait ille, videri, si tripartitio ista, quam apud Aeschylum excultam plane et perfectam omnibus numeris videamus, cum prioris aetatis illius arte tragica nihil conjunctum habeat, sed mero arbitrio Aeschyli inventa sit. Promptam igitur esse apertamque conjecturam, jam apud Phrynichum principia reperiri trilogiae.

Cui sententiae **Dindorfius** in vit. Soph. p. 33 et 60 adstipulatur, qui Aeschylum ex anno 500, quum primum in scenam prodisset, quaternas fabulas, non singulas produxisse et nonnullas Aeschyli trilogias fuisse contendit diversa argumenta tractantes. At minime tales fuerunt, nisi forte quis Persas in hunc numerum refert. Isti opinioni Dindorfii nos repugnantes asseveramus et tamquam fundamentum totius rei statutum illud urgemus, omnes poetas in tragoediis componendis non mero arbitrio, sed firmissimis certissimisque legibus usos esse. Ipsa enim ars ac ratio sic fert, ut res ad naturam suam indolemque accommodatae, non poetae arbitrio tamquam coactae atque invitae procedant. Jam quum novum aliquod genus tragoediae apud Athenienses introductum erat, idem retinebatur, non modo trilogiae, modo tragoediae singulae atque sejunctae agebantur. Ex hoc igitur colligere posse nobis videmur, et Phrynichum, si quando ipse trilogiae genus antea jam adhibuisset, anno 477 quoque, quo anno Phoenissas dedit, eo usurum fuisse, et Aeschylum, ex quo trilogiam introduxerat, nunquam ab ista ratione ac via decessisse.

At quamquam ab initio, ait Dindorfius, ut Thespis et Choerilus fecerant, ita Phrynichus forsitan in scenam tragoedias singulas produxerit, tamen dilucidum veteris grammatici testimonium esse, quumque verba in Suidae exerptis s. v. Σοφοκλῆς inepte ad Sophoclem referantur, in Phrynichum omnia aptissime cadere. Quare Suidae sententiam sic restituit: καὶ αὐτὸς (Phrynichus) ἦρξε τοῦ μὴ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ τετραλογίαν. Cui conjecturae, quamvis argutae, meo quidem judicio omnia ipsius rei argumenta adversantur. Nam primum discriminis multum atque periculi habet sententiam in contrariam convertere, transponendo vocabulo μὴ, tum conversam ad alterum quendam referre, in quem minime illa cadit.

Droysenus igitur et Dindorfius argumentis valde infirmis nituntur, quodque contendunt, id probare per rem ipsam non licet. Itaque mihi quidem illis de caussis modo allatis, Phrynichum auctorem fuisse trilogiae, plane negandum videtur, praesertim quum his rationibus illa sententia mea confirmetur mirifice, **Aeschylum trilogiae genus primum instituisse.** Etenim animis Atheniensium summa virtute bellica clarissimisque victoriis maxime elatis, quum dies festi summo splendore celebrabantur, tum demum, ut infra planius demonstrabimus, ratio trilogiae exstitit, quippe quae ex bellis Persicis ipsis tamquam originem ceperit.

Quare si quid veri inesse velis in verbis Suidae, in titulis fabularum Phrynichi tres illos inter se conjunctos referentis, Phrynichum suam quidem trilogiam non produxisse putabimus, nisi postquam Aeschylus suo exemplo praecesserat. Nam quum Phrynichus anno 477 actis Phoenissis, quae fabula singularis atque absoluta per sese fuit, vinceret, quid caussae est, quod senex ille trilogiam non commiserit? Quum enim anno 512 primum in publicum prodiret, anno jam 471 (Aeschylus autem anno 472 Persarum trilogiam egit) trilogiam docere potuit, qua idem cum Persis Aeschyleis argumentum pertractaverit. Nec mirum esse debet, hanc materiam saepissime et a poetis pluribus cele-

bratam esse, quia bellorum Persicorum imaginem ad vivum expressam cives ei libentissime spectabant oculis, qui proeliis illis illustribus ipsi conflixerant. Quamobrem haud ita multum a vero aberit, si Phrynichum hanc fabulam, quam quidem corroborata aetate egit, nescio an ultimam, Aeschylum secutum, post pugnam Salaminiam ad trilogiae genus redegisse statuimus, siquidem Suidae auctoritatem probaverimus ipsam.

At dixerit quispiam: Cur tandem Phrynichum negandum est auctorem trilogiae haberi? At Aeschylus, non Phrynichus ab omnibus auctoribus antiquis parens tragoediae appellatur, id quod sane non ita factum esset, si ab illo trilogiae genus non institutum esset primo, sed Phrynichus potius hoc nomen tulisset, si ipse quidem tres fabulas artissime inter se conectere coepisset. Quapropter mihi quidem Aeschylus trilogiae quoque parens vocandus videtur. Verum id non negamus, ex Phrynicho hausisse ac didicisse quidquam Aeschylum eum, qui Phoenissas ejus quasi speciem atque exemplar sibi proposuit Persarum, qua in tragoedia genus melicum plurimum valet, quo Phrynichum magis etiam usum esse ait Aristoph. Ran. 749. Nos vero Aeschylum ipsum, quoniam ab ineunte adolescentia tragoedias produxit, primo ad aliorum poetarum illorum similitudinem singulis tragoediis commissis, post pugnam Salaminiam instituisse trilogiam credimus. Pugnam enim Salaminiam quum ad multas res alias amplificandas, tum ad res scenicas augendas atque ornandas plurimum valuisse inde liquet, quod cum gloria auctoritateque Atheniensium apparatus ludorum, splendor, magnificentia mirum quantum augebantur. Anno autem 500 fere primum Aeschylus certasse fertur cum Pratina et Choerilo, laetitia satyrorum exsultantibus, et cum Phrynicho, dulcedine canticorum vigente. Decem annis post apud Marathonem fortissime pugnavit, tum, pulpito confracto primoque theatro lapideo exstructo anno 484 primum vicit. Atque ab initio poetarum illorum vestigia quamvis liberius secutus,

ut superaret illos, novam sibi rationem adhibendam esse perspexit.

Quid plura? Nos quidem, ut, quid sentiamus, aperte jam profiteamur, contendimus, **Aeschyli primam trilogiam esse Persarum**, quam anno 472 eum produxisse ex Pers. arg. satis constat, ubi legimus: ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ Πέρσαις Γλαύκῳ Προμηθεῖ.

Namque antiquius exemplum trilogiae aut didascaliae quadripartitae relictum nobis non est. Bellis igitur Persicis gloriosissime confectis, quum urbs Atheniensium ab hostibus deleta obrutaque denuo esset restituta, res ludicra quoque et cultus quum omnium deorum tum Dionysi incrementa ceperunt maxima. Etenim usque ad id fere tempus et unum conicias diem concessum fuisse ad magna Dionysia celebranda, quibus ludi scenici ederentur, et unumquemque poetam unam tragoediam unamque satyricam fabulam docuisse. Jam vero, omnium animis laetitia victoriarum illarum maxime elatis, nonnullis annis post bellum illud et atrocissimum et praeclarissimum, viribus civium atque fiducia non mediocriter corroboratis, quum singulae tribus majorem splendorem ostentare illustrioresque apparatus expromere cuperent, tum tres dies dixerimus spectaculo decretos esse a populo, atque decretos esse non magis ob majorem illum splendorem, quam quia non pauci jam tragici Athenis essent probatissimi, qui quoquo modo inter se concertabant, praesertim quum semel quoque anno magna Dionysia publicis ludis scenicis celebrarentur, pluraque etiam spectacula edi populus magnopere vellet. Antea quidem unus dies suffecerat, quum ternorum quisque poetarum unam tragoediam cum satyrica ageret. Sed simul cum amplificatis diebus fabularum numerus augendus erat, cum fabularum numero dierum. Jam vero, quum tunc temporis multos socios coloniasque multas nacti essent Athenienses, quoniam magna Dionysia celebrabantur mari aperto, undique ex toto orbe terrarum quum vis maxima peregrinorum in urbem confluebat, tum legati sociorum tributa afferre jussi ludos illos

cum civibus adibant, quo conventu nihil unquam fuisse fertur splendidius.

Ante 477 vero annum, quo anno Phrynichus unam fabulam produxit Phoenissas, trilogiae genus introductum esse non licet putare. Nam illud vel maxime argendum est, omnes poetas aequis paribusque condicionibus inter se certasse. Itaque, quum Phrynichus unam tragoediam illo anno dederit, sequitur, ut alii unam commiserint ipsi. Nec tamen dijudicari jam potest, utrum Aeschylus, postquam trilogiam docendi consilium antea jam sibi proposuit, ut amplificarentur feriae rogaverit, quod facile perferre potuit, praesertim si ipse civis gravissimus amplissimusque illud suasit, an, a populo decretis tribus diebus, quorum singulis singuli poetae quaternas fabulas producerent, ipse ingenio tamquam instinctus divino, novam illam rationem conexarum inter se fabularum instituerit. Ac caussam quaerentes, cur ex una ad tres tragoedias Aeschylus transierit, in arte censemus tragica ipsa eam sitam esse, quapropter divino quodam spiritu ductus artem tragoediae ad trilogiam propagaverit. In tragoedia enim, quae sit tamquam actio, tripartitionem rerum inesse consentaneum est, gradationem ab initio procedentem usque ad summum discrimen, in quo quidem discrimine vis tragoediae posita est summa. Ab implicatione igitur res ad summum culmen traducendae sunt, tum reducendae ex nodo ad placationem, id quod in trilogia tribus tamquam membris conjunctis atque aequalibus magni unius corporis accidit. Ac prima fabula implicationem rerum praebet, nodum altera, tertia enodationem.

Nec tamen hac una commotus ratione artis ipsius Aeschylus ad trilogiae genus transscendisse videtur, verum aliae ad eam accedebant. Sed, utut id est, illud quidem constare mihi videtur, post 477 demum annum potuisse hanc dierum commutationem evenire. Nec sane multum nostra interest, utrum jam ante annum 472 tres dies constitui sint, an 472 demum anno, quo quidem anno nos primum trilogiam actam esse statuimus. Nam ipsam trilogiam justamque anno 472 primam esse productam, etiam atque etiam monemus,

quamquam fieri potuit, ut jam post annum 477 quadripartitae didascaliae instituerentur. At eodem jure contendas, 472 demum anno illas institutas esse publice. In medio hoc relinquendum sit, nisi forte casu quodam opportuno didascalias invenerimus plures. Neque vero Aeschylum laude illa, quod trilogiae genus primus instituit, defraudandum esse censemus. Nam, utcunque res se habet, quocunque modo ille ad trilogiam informandam animo impulsus est, ingenio atque natura profecto ductus materiam sibi proposuerat amplissimam. An quid erat dignius, quo novae illius rationis, quam ad trilogiae genus maxime accommodatam fore intellegebat, patefacere posset aditum atque munire quam Persarum trilogia?

Fabulas autem Aeschylo Suidas tribuit XC, et, qui de vita Aeschyli scripsit, LXX, quibus satyricas addit quinque, in quo Dindorfii conjecturae assentiendum esse putamus, satyricarum priorem numerum multo majorem postea in oblivionem ivisse. Suidas vero omnes fabulas enumerat, et tragoedias et satyricas, vitae autem auctor libros grammaticorum fortasse sequitur, qui LXX tragoedias germanas statuerunt. Quas quum digerendo ad triades Welckerus divideret, viginti fere trilogias effecit. (Trilog. Prometh.). Sed jam Nitzschius in libro, qui inscribitur: Sagenpoesie der Griechen III. p. 639 illi repugnavit. Quamquam enim Aeschylus plerumque trilogias edidisset, ad quas scribendas naturae ipsius ductu excitaretur, tamen singulas nonnunquam atque sejunctas eas fabulas existimandas esse, quas Welckerus trilogiae vinculo inter se consociasset. Cujus rei exempla et utramque esse Iphigeniam et Philocletam fabulam (Nitzsch. p. 643—650). Quo fit, ut Nitzschius XIV fere trilogias fuisse judicet. Quid vero? Nonne in nostram sententiam optime illud quadrat asseverantium, ante annum 472 Aeschylum singulas fabulas dedisse, post annum illum solas trilogias? Omnibus enim, qui traditi sunt, locis ac titulis Aeschyleis pensitatis numeratisque, octoginta dramata cognoscimus, quo in numero ad tragoediae genus recidunt sexaginta sex, reliqui

quatuordecim tituli ad satyros referendi sunt. Quodsi trilogias statuerimus XIV, tragoedias habemus XXXXII, quas inde ab anno 472 usque ad mortem suam Aeschylus (anno 456) facillime potuit producere. Restant XXIV singulae atque sejunctae tragoediae, quas spatio inde ab anno 500 usque ad annum 472 tribuimus, quamquam nonnullae fortasse, quas viri docti sumpserunt, trilogiae singulis potius atque sejunctis continentur fabulis. Tali modo ne numerus quidem ille fabularum nostrae rationi ullo modo obstat. Nec mirum est, quod posterioribus temporibus Aeschylus crebrius tragoedias composuit quam antea, quum trilogiae ad ingenium ipsius essent aptiores singulis neque conexis fabulis. Ceterum clarissimo illo seculo Graecorum poetae, quum opera eorum ac studium multo minus dirimeretur in partes contrarias atque distraheretur, multo facilius componebant carmina quam hac aetate nostrates, praesertim quum idoneae semper materiae mythorum illis occurrerent atque in promptu essent. Quid, quod Choerilo quidem fabulae adscribuntur CLX? Ad quas quantulus, quaeso, Shakspearianarum fabularum numerus ille, quantuscunque per se, videri debet?

Jam vero, quoniam originem trilogiae et a quo instituta sit primo, satis explanasse nobis videmur, ad totius disquisitionis partem veniamus ut gravissimam, ita difficillimam, quaesituri, **quaenam sit natura trilogiae ac ratio.** Atque ex antiquis quidem temporibus tradito instituto illo, postquam Casaubonus et Genellius de hac re, copiosius illi quidem, sed non ab omnibus partibus probabiliter disseruerunt, tandem **Godofredus Hermannus** in Opusc. II. p. 306 anno 1819 accurratius eam exposuit, cujus disputationis summa fere est haec: Quamquam, ait, in conexu trilogiae singulae seorsum tragoediae habeant argumentum, ut etiam per se ipsae animos spectatorum retineant, tamen aliud quid requirendum esse, ut tres tragoediae sese deinceps excipientes ea cum attentione ac voluptate spectari possint, cui excitandae operam dederint poetae, praesertim qui de victoria concertarint, maxime consentaneum esse. Id autem

in eo debere positum esse, ut eae tragoediae, quae unius trilogiae vinculo comprehendantur, quam maxime inter se sint dissimiles. Esse vero in tragoediis triplicem omnino fontem, ex quo peti ista dissimilitudo possit. Nam et animis et auribus et oculis prospicere debere poetam scenicum. Itaque et inventione fabulae atque compositione et canticorum temperamento et apparatu rei scenicae differre tragoedias singulas oportere.

In quam rationem circumscriptam et definitam num illa trilogia una nobis relicta quadret, Hermannus diligenter pensistat, egregieque eam normam cadere in tres illas tragoedias efficit. Agamemnonem quidem, ait, magnam fabulam esse et gravem, totam ad epici carminis severitatem compositam, mentis potissimum atque animi oblectationi inservientem, ad scenicum autem apparatum nihil aut insigne aut novi afferri. Excipere hanc Choephoros, plane diversi coloris fabulam, in qua actionis non multum, sed cantionum latius extentarum saepiusque repetitarum tantam varietatem tamque admirabilem modulationem aures permulcere, ut tota fabula lyricam indolem spiret, cantusque in ea primarium locum tenere videatur. Mirum quantum tertiam fabulam fere totam eo spectare, ut oculis nova, insolens, terribilis species objectetur, templa deorum ac dei ipsi, sanctissimus consessus Areopagi, taeterrima caterva Furiarum, turba feminarum Atheniensium pompa sollemni et cum facibus illas comitantium. Deinde alias Aeschyli fabulas perlustratas in rationem suam convenire omnes Hermannus contendit, in quo nonnunquam errat vir clarissimus, ad falsum ordinem revocatis tragoediis, quibus contineantur trilogiae. Quos videlicet errores postea ille correxit, velut in Supplicibus, quas, quamquam prima est fabula trilogiae, tamen ad cantum potissimum factas cumque Danaidibus solis conjunctas fuisse putavit.

Atque Hermanno assensus est **Goethius** (XXXIII. p. 8), qui haec fere ait: Antea, i. e.: ante Hermanni judicium, triplicem gradationem ejusdem rei habitam esse trilogiam, cujus prima fabula expositionem, distributionem summamque

totius trilogiae plane absolvi, altera terribiles eventus in prodigiosa paene ac portentosa crescere, tertia vero, iterum eventis illis auctis, tamen reconciliationem quandam animorum effici. Quo facto, facile quartam fabulam hilariorem ad spectatores gravitate tragoediarum commotos et quiete suavitateque egentes relaxandos laetisque dimittendos animis non inepte addi potuisse. Quum autem plebem sordidam turbamque levissimam argumentum perpetuitate continuatum nihil curare, sed externarum tantum rerum lenociniis deleniri perspexisset poeta, has res illum auxisse et amplificasse. Prima igitur fabula grandi et admirabili gravitatem subtilitatemque sententiarum esse urgendam, altera delectandos choro atque concentu animos, tertia pompae magnificentia ac splendore alliciendos atque pascendos oculos blandimentisque festivis deleniendos spectantes.

Quod quamvis sit grave judicium idoneaque auctoritas summi illius magistri poesis ac principis literarum, tamen nimis extrinsecus adscitum in trilogiae rationem non quadret. Quod quidem in Orestia accidere videmus. Nam in Agamemnone oculis ad minimum eadem atque in Eumenidibus spectacula, menti attentae in tertia non tenuiores sententiae quam in prima trilogiae fabula praebentur. In Agamemnone enim ob oculos spectantium versatur sollemnis illa immolatio, adspiciuntur deorum imagines ante regiam splendidissimam positae, currum videas triumphalem una cum captivis, militibus, comitibus, vestes purpureas, Cassandram denique animo commotam, multosque apparatus alios, quae omnia, nisi forte quis hac tragoedia saepius commemorari tantum sermone, tertia vero re ipsa apparere putat, pompam illam Eumenidum apparatumque rei scenicae si non superabant, at certe non superabantur illo. Eumenides vero magis ad mentes hominum incitandas spectant quam prima illa fabula, quum scermonibus gravitas mentis ac sententiarum declaretur summa totius trilogiae. Ac ne in Prometheo quidem, quae media pars est trilogiae, Vincto, genus melicum praecipuum locum obtinet.

Quamquam ad Persas et Choephoros, quas tragoedias vernacula lingua tamquam Oratorien sive Cantaten non male voces, ratio Hermanni apta atque accommodata videtur, quarum fabularum utraque diligentius ille examinata ad sententiam suam concipiendam haud scio an perductus sit. Atque idem ego vereor, ne Hermannus, quum Aristotelis Artem poetic. etiam atque etiam perlegeret, in rationem suam inciderit totam. Quod quidem colligere posse videbar, quum ipse caput VI ejus libri lectitarem, ubi de partibus tragoediae disputatur: ταῦτα δ' ἐστί.... διάνοια καὶ ὄψις καὶ μελοποιΐα. Atque quum in Eumenidibus oculis multa spectacula objectentur, in Choephoris vero Persisque cantus permultum valeat, in Agamemnone sine dubio διάνοιαν vel plurimum pollere ille statuit. Sed ipse Aristoteles ei rationi adversatur, quum paullo post dicat: καὶ γὰρ ὄψεις ἔχει καὶ ἦθος καὶ μῦθον καὶ λέξιν καὶ μέλος καὶ διάνοιαν ὡσαύτως.

Quum igitur nec ad duas eas, quas potissimum sequi licet, tragoedias Aeschyli nec ad ceteras illius ista Hermanni lex idonea aptaque sit, nullo pacto cum eo consentiendum esse statuo. Saepe profecto accidit, ut in singulis tragoediis cantica, apparatus rei scenicae, gravitas subtilitasque sententiarum praecipue exstarent atque eminerent, nec tamen ex certo quodam ordine oblectamenta mentis, aurium, oculorum adsciscenda sunt, sed omnia illa simul inveniri in illis oportet. Quae quum ita sint, Hermanni ratio, quae, rerum externarum nimis respectu habito, ad totam compositionem trilogiae multo minus, vel, ut aperte dicamus, nihil spectat, perperam statuta videtur. Neque omnino ob gradationem solam et vim atque effectum rerum extrinsecus adscitarum res ipsas, per se quidem conexas, neglegere atque contemnere licet.

Quapropter rem ipsam altius repetentes, ad officinam tamquam et fabricam descendamus poetae, id quod primus fecit **Welckerus** libro: Des Aeschylus Trilogie Prometheus 1824. Is omnibus Aeschyli dramatis et titulis, qui ex antiquis temporibus supersunt, inspectis examinatisque, ternis fabulis

inter se conjunctis, nihil aliud fere Aeschylum conscripsisse docuit, nisi ternas fabulas argumenti reique tamquam vinculo inter se cohaerentes et deinceps sese excipientes. Hac ratione usus XX fere trilogias restituit, non solum perpetuitate quadam argumenti, ut vult Hermannus, verum compositionis consensu quasi atque concentu rerumque unitate conexas. Egisse autem Aeschylum id, ut tres ejusdem argumenti fabulas arte consociatas tamquam tria unius corporis membra paria atque aequalia conformaret. Quod illud primus quidem aperuit certisque illustravit rationibus, summa profecto Welckeri putanda est laus, totaque illa res tanta est, ut omnibus trilogiam Aeschyli consideraturis ab hoc rite proficiscendum sit, cujus sententiam ipse Hermannus, quamvis invitus nec professus, tamen magis magisque sensim secutus est. At numerum trilogiarum a Welckero statutum nos quidem non probamus. Nam ille jam ex anno 484 Aeschylum trilogiae genere usum esse vult. Nos vero, 472 demum anno novam illam legem inductam esse rati, cum Nitzschio XIV trilogias statuimus.

Jam Welckerus, etsi jure contendit, artem Aeschyleam fabulis mythisque nisam esse popularibus, tamen idem argumenti plurima, quin etiam fere sola ratione habita, mythos ipsos in tres partes necessario distingui atque dividi putat. Quam quidem distributionem jam in Homeri carminibus inveniri, quorum ad similitudinem Aeschylum trilogias suas ita instituisse, ut carmina heroica mythosque ipsos quodammodo exhauserit. Cui sententiae saepe multumque Gruppius repugnat et id quidem jure in libro Ariadne 1843. Multo autem vehementius idque rectissime Welckero contradicit is, qui in hac re summus auctor jure habetur, **Nitzschius.** Is meo quidem judicio popularem illam de deis opinionem magis intuens atque respiciens totamque quaestionem acerrime intellegens optime in libro eo, quem antea laudavimus, exsequitur ac disserit. Quocum equidem statuo, Aeschylum ex carminibus epicis mythisque ipsis fabulas non elegisse, nisi quae ad trilogias idoneae plane et consonae viderentur.

Quod quo facilius intellegatur, **opinio ejus aetatis de deis popularis** accuratius nobis consideranda est, ad quam potissimum tragoediae compositionem tamquam ad certissimam legem expressam videmus. Etenim, bellis Persicis praeclarissime confectis, quum mores Graecorum, consilia, de deis persuasio novum inde colorem ducerent, nisi illorum auxilio victoriam non esse partam omnes confessi numini deorum gratias summas agendas esse existimaverunt, sine quo praesenti atque propitio homines omnino efficere possent nihil. Hinc summa erga deos pietas, hinc tanta religio, hinc metus perpetuus, ne unquam aut dictis aut factis hominum illi offenderentur. Nam ipsi dei summas Persarum opes atque divitias funditus evertendo, quam gravibus poenis afficerent superbiam hominum atque insolentiam, illustri luculentoque exemplo tum declarasse videbantur omnibus. Aucta est igitur atque elata mirifice ratio ista Graecorum animis insita innataque quum omnino sentiendi honeste recteque faciendi, tum vero deorum rite pieque venerandorum. Quod quidem ut omnibus in rebus nationis illius cernitur, ita vel maxime in literis apparet, fatalem atque funestam esse superbiam, quam Graeci ὕβριν vocabant, ejusque ὕβρεως vestigia poenas semper sequi deorum, seras illas quidem, sed certas atque inevitabiles, Νέμεσιν sive Ἐρινύν. Quae de deis opinio apud antiquiores jam perspicua saepe manifestaque est, quod quidem Lehrsius in libro: Popul. Aufs. p. 36 doctissime elegantissimeque exposuit. Nec tamen quisquam antiquiorum tanta vi tantoque studio opinionem illam profitetur atque declarat, quanto Aeschyli aetate in omnibus scriptorum libris effictam videmus. Ita Herodotus fatum et atrocem sortis humanae necessitatem quum omnino respicit, tum in partibus ornandi caussa additis, cujus rei exempla afferre Polycratis fortunam et Croesi facile supersedendum videtur. Eodem ingenio indoleque imbuta sunt Pindari carmina graviter monentis, ab hominibus parendum esse legibus institutisque deorum. Imprimis vero sententiam illam in Aeschyli trilogia invenimus, quum ille doceat, ne quis homo supra modum sese efferat,

quod quidem quantopere offendat deos, jam Homerus in mythis et Niobae et Ajacis Locri describendis testatur. Postea autem, bellis Persicis opinione illa magis exprompta ad vitaeque communis consuetudinem serpente atque prodeunte, tamquam sedes ac fundamentum sentiendi honeste recteque agendi apud Graecos illud μηδὲν ἄγαν putandum est, quo vetatur homo mortalis nimium quidquam atque furiosum audere, sed moderato animo semper esse atque modesto. Quod dictum etiam januae templi Delphici inscriptum fuisse, quippe quod non modo ad intuendum, verum ad reputandum imitandumque omnibus proponeretur, quis est, qui nesciat?

Atque ὕβρις illa, quae cum Graecorum natura ac moribus artissime cohaerebat, intellegenda est superbia hominum omnis, contumacia, impudentia, libido, securitas temeraria atque obcaecata, stultitia, protervitas, procacitas, denique quae in deos aut homines sive cognatos sive hospites sive supplices, vel mentibus vel dictis vel factis pecces, i. e. ἡ περὶ μὲν θεοὺς ἀσέβεια, περὶ δ' ἀνθρώπους ἀδικία, unde ὑβριστὴν nec φόβον θεῶν vereri nec νόμον ἀνθρώπων colere patet. De deorum autem justitia tamquam juris praesidum atque custodum dubitari posse vulgo non credebatur, quippe qui hominum virtutes laudesque probantes ornarent honoribus praemiisque, malitiam vero nequitiamque aspernantes punirent gravissimisque suppliciis multarent, nec solum multarent, verum etiam ipsos homines illos nefarios ex intimo pectore odissent. Neque modo miseria nimia atque aerumna, verum etiam fortuna prospera atque secunda homines, quum amplitudine perfruentes diffluentesque deliciis ad ὕβριν incitarentur, facillime everti putabantur. Nam sic moratorum divitiae tantum abesse ut utilitati ulli aut saluti eis essent ipsique a deorum poena et exitio vindicarentur, ut opibus illis interitus eo maturius afferretur. Quocirca homines, quibus cancellis angustiisque res humanae circumscriptae sint, semper respicere secumque cogitare decere. Esse enim ὕβριν μάταιον, i. e. vanum, fragile, stultum, mutabile, omni stabilitate fortunae diuturnitateque carens.

Ex illa autem aetate, qua tragoedia laetius vigescere coepit, omnino deorum in homines iniquitatem quandam acrius expressam videmus ut a populo ipso sic a poetis. Neque enim solum superbiam arrogantiamque illos punire hominum, sed etiam nimiae fortunae eorum et amplitudini modum naturae humanae excedenti invidere animadvertas, atque invidere, etiamsi superbia hominum accesserit nulla. Etenim dei, quos ad hominum rationem ac similitudinem Graeci finxerant animis, non prorsus liberi a metu aut ab invidia credebantur, quorum complexionem cumulatam bonorum attingere hominibus non licere. Namque omnium mortalium naturam sempitero numine deorum coerceri suaque fortuna contineri, quas condiciones egredi homines nefas esse. Quare hominum omnia facinora diligentissime observantes, ubi modum egressum aliquem in ὕβριν aut nefas incidisse animadverterent, ut aequae illae condiciones atque immutabiles restituerentur, protinus poenas immitere deos gravissimas. Quin etiam usque eo de iniquitate illa sibi persuaserant Graeci, ut, cuicunque numen succenseret, eum sua cupiditate obcaecatum et deceptum fallaciis ad fraudem et scelus ipsum depellere atque adeo aerumnis et laboribus deterrimo cuique exanclandis insuper laetari putaretur. Qui animus, quamquam a deorum justitia primum leviterque rem adspicienti alienior videtur, tamen minus ab eo abhorrere illum putaveris, si homines innocentes, qui ὕβρεως macula aspersi non sint, observari tantum utique memineris, non puniri, nisi forte peccatorum (σχετλίων) jam commissorum facinorumque majorum, quorum improbitas divinam dignitatem laeserit, ab ipsis dei repetant poenas. Nam iniquum atque injustum videbatur, innocentes sine proba caussa interire. Quorum vero nimiae fortunae dei inviderent, eis κόρον illos immittere, a quo haud longe distare atque sejunctam esse ὕβριν, quam quidem dei attentis animis intuentes jam exspectarent, si forte flagitio quodam illi inquinarentur. Cujus invidiae divinae, quum semel emersisset, vestigia Nemesin subsecutam, nefas et ὕβριν ulciscentem, a nequissimo quoque poenas gravissi-

mas repetere. Ex una igitur justitia divina quum poenas cunctas enasci inter omnes constaret, Juppiter id agere credebatur, ut fortunam acerbissimam experti homines ad sanam mentem piumque animum rursus revocarentur. Nam legem eam poenae divinae caecam ab illo constitutam esse, qui ipse tamquam summus deorum auctor omnes poenas demitteret, cujus tamen partibus fungentes ceteros quoque deos, praesertim quum laesi essent ipsi, quaelibet scelera ulcisci. Appellatur autem poena illa a Jove missa δαίμων sive Νέμεσις sive Ἐρινύς. Atque Erinyn illam, quam posset nemo effugere, consecutam esse Persas ipsos, omnes Graeci sibi persuaserant, quorum et opes divitiasque et ipsam securitatem, quum bello glorioso illo recens cognovissent, tamquam nova illa et inaudita perlustrantes oculis vehementissimeque commoti atque offensi non aliter nisi divinitus dilapsa illa esse omnia credebant. Itaque splendor ille magnificentissimus, qui ineunte tragoedia describitur Aeschylea, prorsus diffusus atque dispersus, contumacia illa animorum funditus oppressa atque exstincta gravissimum Graecis omnibus et exstiterat exemplum, deos superbissimo cuique poenas imponere maximas, et mansit fixaque erat opinio illa de ὕβρει tam luculenter a deis confirmata ipsis.

Qua quidem potissimum trilogiae genus niti censemus. Etenim Aeschylus 472 anno primum novam rationem illam instituit, quo anno, ut hoc verbo jam utar, ille commisit **trilogiam Persarum**, cuius primum locum Phineus obtinuit, alterum Persae, qui quidem nobis restant, Glaucus tertium, ad quas tres fabulas quarta accessit Prometheus, alieni profecto argumenti satyrica. Illaque triade trilogiam contineri constat, cujus tamen ipsum nomen tres fabulas illas complectens traditum non est. Quamquam a vero aberrare non videamur, si trilogiam Persarum eam vocavimus. Mirum est enim, quod in numero titulorum Aeschyleorum ad literarum ordinem digesto Phineus Glaucusque frustra quaeruntur, leguntur autem Persae. Huc accedit, quod Aristophanes et Athenaeus ex Persis versus quosdam tradiderunt,

quos, quamvis studio perquisiveris acri, tamen non reperias. Quare, si non alteri hoc tribuas editioni, quae Syracusis facta traditur a schol. ad Aristoph. Ran. 1028, conicias fortasse non temere, Persas jam antiquis temporibus nomen fuisse totius trilogiae.

Quoniam igitur Aeschylus trilogias producere sibi proposuerat, quale argumentum ei erat praestantius, aut ad illa tempora atque ingenium ipsius magis accommodatum quam res ipsas celebrare haud ita longo spatio ab hominibus illis sejunctas, praesertim quum spectatores ipsos proeliis illis omnibus conflixisse haud ignoraret, quae jam ante oculos et animos repetita atque redintegrata visuros eos esse intellegebat tamquam acceptissimam belli recordatos memoriam? Adde, quod suum opus Phoenissis a Phrynicho ante paucos annos actis cum illo certans opposuerit. Quid vero? Num res ab omnibus spectatoribus gestae iterum oculis eorundem praebenda erant? Non id intendit poeta ille clarissimus, sed tantum ei videbatur abesse, ut tragoedia res praesentes illustrarentur, ut artis fundamentis mythisque illam contineri maxime putaret. Tragoedia enim a mythis minime erat sejungenda, quibuscum artissime cohaerebat. Mythis vero ipsis carens tragoedia aut omnino exstitit nulla aut si erat aliqua, certe ad vitam communem Graecorumque illorum animos minus apta erat, quam quae stare posset. Quod quidem facile intellegas ex fabella illa de Phrynicho tradita, qui quum Mileti expugnationem tragoedia pertractasset, ab Atheniensibus temporum recentium propeque praesentium memoribus, quod publicas miserias in memoriam civium revocasset et omnium animos tantopere flexisset, ut lacrimis illi abstinere non possent, pecunia multatus esse traditur. Ludos enim sollemnes in Dionysi honorem laudemque editos tragoediis ita celebrari, ut materia earum ex poetarum ipsorum aetate haurirentur, nefas Graeci arbitrati, fabularum ex praeteritorum potius temporum memoria copiam variam multiplicemque sumendam esse existimabant. Quapropter Aeschylus, qui non solum, quid de hoc

cives sentirent, penitus intellexerat, sed suapte mente ingenioque ipse illuc potissimum ducebatur, semel omnino historiam publicasque res pertractavit tragoedia. Atque unius Phrynichi fabulas si exceperis, argumentum e rebus sua aetate gestis a tragicis sumptum invenies nullum. Aeschylus autem distribuendam ita hanc materiam judicabat, ut res a civibus ipsis bello gestas cum mythis artissime conecteret. Quid, quod Herodotus ex mythis initium historiarum suarum cepit? Et hercle id est clarissimum testimonium gravissimumque pietatis adversus deos summae ac religionis quum singulorum poetarum atque scriptorum tum universi populi Graecorum. Atque in hoc exemplo Persarum maxime cernitur, quomodo poetae magni res suae aetatis pertractent, quum tempora praesentia semper cum cautione attingant. Quodsi quaerimus, cur Graeci id fecerint, illa quidem maxima mihi vedetur caussa, quod tragoediam praeter omnia opus esse voluerunt ad artis normas aptum, non id, quod nos appellamus Tendenzstueck. Atque apud Aristotelem in poet. libro legimus, caput ac fontem tragoediae primarium esse κάθαρσιν, quae animi expiationem lustrationemque quandam et reconciliationem significat. In tragoedia enim non ipso metu ac miseratione commovemur, sed altius etati rerum praesentium quasi obliviscimur atque omnia ab eis rebus, quae sub sensum cadunt, valde remota intuemur. Talis tantaque est vis artis ipsius hominum animos deleniens atque opprimens. Quam quidem sententiam ex judicio pulchritudinis profectam omnium Graecorum mentibus pariter insitam atque innatam esse videmus. In mythis enim tragoediae mores habitusque totius seculi ita expressa sunt, ut tamquam summae perfectionis species animo informata, i. e. ideale Welt, quam dicimus, spectantibus proponeretur, qua res omnes ut speculo quodam illustri praebentur, non ad praesentium temporum similitudinem referuntur.

Quibus propositis, facile, credo, inde repeti potest ac perspici, cur tali modo trilogiam Persarum Aeschylus instituerit. Una enim fabula quoniam neque totum bellum ex-

planare, id quod constituerat, potuit, neque tempora et mythica et praesentia inter se confundere atque in unum tamquam corpus revocare voluit, plurium deinceps fabularum ordinem trilogiaeque genus sumpsit. Cujus quidem trilogiae compositionem atque conexum jam fusius uberiusque exponere libet, propterea quod et proprium illud ac peculiare est genus et quod hanc primam antiquissimamque Aeschyli trilogiam ducimus.

Prima autem pars ejus trilogiae erat **Phineus**, de qua quidem fabula nihil reliquum est nisi versus duo, ex quibus nihil sane certius colligi potest. Id vero apparere videtur, in hac tragoedia declaratum fuisse, primum vitium ac culpam profectam esse ex barbaris, quorum naturam moresque effictos videmus in Phineo, Argonautarum aequali. In quo Pindarum secuti, Aeschylum Argonautas ideo profectos induxisse putemus, ut Aeetae ὕβριν vindicarent in Phrixum commissam, quem quidem rex barbarorum jugulaverat. Tum, poenis solutis, Aeetes Graecos ulcisci vult, quod tamen Phineus vates fieri vetat monetque, deos ipsos illud non pati. Si vero quis illud nihilominus fuerit ausurus, fore, ut gravissimis deorum suppliciis afficiatur ipse una cum familia sua, cum regno omnibusque opibus. Antiquitus enim hoc esse a deis cautum, ut barbari Asiae imperium obtinere satis haberent, neve Graeciam invaderent. Cf. Darei verba Pers. 740.

Prima igitur hac fabula bella Persica quasi praedicuntur. Quod a quo fieri potuit melius quam a Phineo? Cujus vaticinatione expeditio Argonautarum cum bellis Persicis tamquam artiore quodam vinculo conjuncta inducitur Aeschylusque per deos ipsos incurrere barbaris in Graeciam non licere demonstrat. Xerxes vero, qui jussa illa deorum neglexisset atque violasset, hanc ob ipsam caussam in interitum ruit. Sic optime Phineus cum Persarum fabula vaticinationis necessitudine cohaeret, qua quidem saepissime trilogiarum fabulae inter se continentur. Cf. Cassandram in Orestia, Prometheum. Nec tamen ob unam illam caussam Xerxes

in perniciem irrumpit. Adde, quod regis obcaecati illius nimiis divitiis opibusque dei invidebant. Quapropter facta ejus illi undique circumspiciunt, ὕβριν sabortam et facinus confestim et in unaquaque re animadvertunt, postremo eum aggressi magis etiam incitant fallaciisque irretiunt caecutientem.

Persarum summam umbra Darei profitetur Pers. 820-830. Xerxes enim, ab amicis ille quidem impulsus, cui tamen ut regi ἀυτοκράτορι nulla legum auctoritate obstricto omnia facinora ipsi imputanda sunt, propter cupiditatem opes amplificandi finesque proferendi, quum jam habeat summas divitias imperiumque ingens, a deis iratis ad insaniam adactus, Graeciam in potestatem suam ditionemque redigere cupit. Neque vero in hac re acquiescens rex, denuo deis laesis atque exacerbatis, in exitium magis magisque incidit atque incurrit, quum et alios deos et Neptunum, quos superaturum sese esse opinatur, Hellesponto ponte conjungendo lacessat. Quam ob ὕβριν et θράσος quum ceteri dei tum Juppiter ipse ac daemon (ἀλάστωρ ἢ κακὸς δαίμων) poenas atrocissimas illi imponentes totum exercitum ac populum Persarum funditus evertunt, qui cum impio rege illo templa ac delubra deorum immortalium incenderant multaque alia facinora effrenata licentia perpetraverant. Cujus contumaciae et superbiae poenas repetentes cladibus maximis illi eos affligunt atque prosternunt, Graecorum vero virtutem pietatemque gloria summa ornant decorantque. Ac vinculum Persarum cum tertia tragoedia trilogiae ipsum quoque continetur vaticinatione Darei. Jam enim, ait ille, alias clades recentes imminere ac detrimenta non minus gravia prioribus (Pers. 818) et poenas impendere pro superbia illa ac scelere, totam vero Graeciam libertatem sibi conservaturam esse integram atque incolumem.

Tertium hujus trilogiae drama titulo inscribitur **Glauci**. In quo nos quoque non, quae Hermannus olim de Glaucis scripsit, sequi possumus, sed recentiorum Welckeri, Bernhardii sententiae adstipulamur. Ille igitur Glaucus (Πόντιος), numen marinum apud Boeotos et Athenienses sollemni cultu

celebratum, quum omnia maria lustraret, quotannis Athenas venisse dicebatur. Quid vero facilius aptiusve, quum in fragmento quodam Glauci Aeschylei vocem Himerae inveniamus, colligas, quam Glaucum in fabula Aeschyli nuncium attulisse victoriae apud Himeram de barbaris relatae magnifice, quaeque eodem cum Salaminia die fuisse traditur. Nec minus certe Plataeensem Persarum calamitatem in tertia fabula enarratam statuas, praesertim quum ipse Glaucus in Boeotia religiose coleretur, quarum cladium utraque a deis ipsis missa credebatur tamquam poena ὕβρεως et facinoris barbarorum, Xerxis enim unius culpae ab omnibus jam barbaris poena repetitur acerbissima. Ceterum illa Himerae commemoratione ac laudibus factum videtur, ut haec trilogia ab Aeschylo tum praesenti Syracusis iterum magno concursu hominum atque frequentia ageretur. Atque in hoc dramate tertio ingenti ob victos barbaros impios laetitia exposita, Graecos, homines mansuetissimos maximeque mitigatos cultu politiore quum omni tum ipsorum deorum religione, summas eis pro salute atque victoria laetissima gratias agere, satis probabiliter conicias. Cui rei praedictum Glauci de magnitudine ac decore et libertate Atheniensium facile adjunctum sit, cujus quidem dispositionis exemplum in Eumenidibus nobis propositum exstat.

Et quoniam hujus trilogiae conexum satis explicasse enucleasseque nobis videmur, si, quae ex his efficiuntur, una quasi comprehensione complecti licet, hoc jam summatim repetamus, Aeschylum luculenter graviterque declarasse, ὕβρις barbarorum jussa divina aspernantium quomodo tantum splendorem, tantos apparatus, tantam vim hominum, tantum denique regem ac tyrannum tandem everteret. Quod quum una eademque fabula exprimendum sibi esse ille non putaret, arte ipsa ductus tres tragoedias instituit, quarum prima jussa deorum explicantur, altera casus impiorum, ira deorum adductus, tertia pestis ista usque ad finem perducta atque absoluta. Quid vero? Estne hoc vinculum? An forte Dindorfium sequamur? Neque vero intellegimus, quomodo fieri

potuerit, ut vir ille doctissimus (in vit. Sophocl.) tetralogias et ejusdem argumenti et diversi discernendo, quo quidem Persas refert, totam rem plane everteret. Simili modo eorum, qui trilogiae rationem diligentius exsequebantur, multi compositionem minime respiciunt, verum solam argumenti perpetuitatem. Nos vero satis illustrasse nobis videmur, trilogiam Persarum contineri ut mythis cum historia conjunctis ita et quam maxime illa de ὕβρει atque Νεμέσει opinione, quae tamen opinio post pugnam demum Salaminiam, summo illo splendore opibusque Xerxis sublatis atque exstinctis, tanta vi gravitateque enitescere ac plurimum ad vitam cultumque Graecorum valere coepit. Tali modo fundatum demum ac conformatum trilogiae genus censemus, in quo summa pietate sua et religione deorum Aeschylus quum inter ceteros omnes praestat poetas, tum superiores longe superat ipse. Nec sane intellegimus, qua quis ratione Phrynichum auctorem illius generis judicet, quia ante pugnam Salaminiam et totus habitus hominum atque indoles et rerum sacrarum sollemniumque condicio longe fuit alia. Quid plura, praesertim quum jam supra de hac re fusius dixerimus, ubi de Phrynicho disputabamus? Nec magis cum Welckero consentiendum esse putamus, qui jam anno 484, quo anno primum vicit, trilogiae genere Aeschylum usum esse censet. At, quoniam quum ex Salaminia demum victoria ὕβρεως notio ista, ad quam omnium Aeschyli trilogiarum summa recurrit, ad vitam communem plus valere coepit, tum in ipsa Persarum trilogia gravissima est, qua quidem trilogia priorem reliquam cognitamve habemus nullam, eas ob caussas Persas primam omnium trilogiarum fuisse persuasum habemus, id quod etiam atque etiam monemus.

Semel igitur usus trilogiae genere Aeschylus, praesertim quum civium animos maxima permulsisset suavitate, gravitate permovisset, jam retinere eam in posterum constituit. Neque vero idcirco unam semper regulam normamque in illo genere amplexus est, neque illud res ipsa desiderabat, sed intra fines artiores liberrime evagari licebat. Atque, etiamsi non du-

bium est, quin ratio ac conexus Persarum propria quaedam ac peculiaria fuerint, quaeque ad ceterarum trilogiarum similitudinem referri non potuerint, tamen primo illo exemplo poeta divinus satis jam declaraverat, quomodo artis vinculo tres tragoedias similis argumenti inter se conjungeret. Quumque in trilogiis componendis omnibus pietatem erga deos semper Aeschylus respiceret, tamquam caput et summa artis Aeschyleae ὕβρις eminere non desiit. Quam quidem ὕβριν primum eum ad tragoediarum artem augendam atque illustrandam transtulisse, maxima certe laude ac gloria praedicandum est. Nam iterum ea ratione uti, quae jam antea inventa est, hoc quidem minoris momenti est minoremque affert difficultatem.

Nec jam ex antiquis monumentis accuratius dijudicare licet, ad quam materiam primum ille Persarum fabula acta aggressus sit. Neque enim illud conicias, 467 demum anno, quo anno Septem ad Thebas fabulam datam esse ex arg. ad Sept. novimus, trilogiam quandam Aeschylum docuisse, quippe qui tantum numerum tragoediarum composuerit. Verum id contendimus, ex illo tempore anno fere quoque trilogiam eum commisisse.

Jam vero, quum ex titulorum indice constet, Aeschylum res Troicas pluribus fabulis pertractasse, a vero non nimis discesserimus, si materiam fabulamque quaerentem eum in argumentum illud incidisse statuamus, quippe quae ad miram profecto cum Persicis similitudinem accedant. Quum enim bellorum Persicorum certaminibus tamquam inter Graecos, reipublicae libertatisque amantissimos, et barbaros a tyranno superbissimo oppressos dominationeque illius quasi perdomitos, discrimen illud maxime ante oculos positum esset, indolem mythorum Troicorum ad temporum Persicorum rationem expressit Aeschylus. Qua ex materia etiamsi non trilogia ulla ac ne una quidem restat tragoedia, tamen ex ipsis titulis restitui illae possunt, unde Nitzschius Iliadem trilogiam effecit. In Agamemnone vero fabula, opinor, si modo fuit Aeschyli trilogia Troica, qualis fuerit, lucu-

lentissime tota res illustratur. Paris enim, quum dei jam nimiae fortunae opibusque Priami gentis inviderent, hospitio laeso et Jove hospitali (ὕβρις) atque uxore hospitis surrepta, in se ipse excitaverat iram illorum. Qui totam gentem popu umque ὑβριστῶν (etenim totus populus Trojanorum eodem modo quo Persarum describitur) ita delere constituerunt, ut Erinyes et Atridas mitterent, qui ipsum Paridem, hominem nefarium, gentemque ejus universam punirent. Et profecto ex illa Paridis antiqua culpa omnes istos labores molestiasque enasci Trojanorum et clades, cantica illa chori clarissima testantur. (Agam. 355—483, 56—80, 660.)

Temporum ordinem secuti ad **Lycurgiam** Aeschyli transeamus. Quae quo anno acta sit, etsi disertis testimoniis nescimus, tamen quo fere tempore prodierit, conjectura effici posse putamus. Etenim in didascalia ad Septem traditum videmus, eodem anno 467, quo anno Septem fabulam Aeschylus docuit, tertium pretium tulisse Polyphradmonem Λυκουργίᾳ τετραλογίᾳ. Scholiastes vero Aristoph. ad Thesmoph. 142 Aeschyli Lycurgiam tradidit. Quid? Nonne poetam illum hanc materiam ante actam Polyphradmonis fabulam in lucem emisisse putabimus? Equidem plurimos viros doctissimos secutus in hac sententia persisto. Quid vero ex hoc argumento efficitur? Illud plane concludi licet, intra annum 472 atque 468 Aeschylum Lycurgiam produxisse, cujus exemplum auctoritatemque Polyphradmonem secutum esse anno 467. Tragoedia enim ex Dionysi fabulis profecta facile ad illos mythos aliquamdiu intermissos eo libentius revocata est. Jam vero ei mythi Dionysiaci exquirendi eligendique erant, qui ὕβρεως natione continebantur, ad quam fabula de Lycurgo ficta aptissima videbatur, qui quidem rex Edonum, quum deorum instituta pio paratoque animo sese accepturum Dionysumque agniturum contumaciter negasset, ob hanc ὕβριν deo ipsi poenas atrocissimas solvit.

Nec vero dubium est, quin Aeschylus, quum quoque fere anno singulas trilogias doceret, alias etiam ante Septem tragoediam trilogias commiserit. De quibus ipsis nihil novi-

mus ac ne colligere quidem quidquam certi licet. Nam quod Gruppius in Ariadn. p. 156 temporis ordinem constituere sibi visus est, quum contenderet, Aeschylum ex praecedentis cujusque trilogiae materia ad simile quoddam cognatumque argumentum ductum esse subsequentis, id nobis prorsus temerarie dictum videtur atque ab ingenii Aeschyli divinitate fertilitateque alienissimum. Quapropter quaestionem illam mittamus tamquam supervacaneam, quaeque in dubio sit, dum forte casus opportunitate majorem didascaliarum numerum invenerimus.

Sed alia quoque materia per se ipsa poetam allexit, i. e. earum **trilogiarum, quibus totius gentis mythi describuntur.** Nec tamen ullo modo omnes de gente aliqua mythi in unius tragoediae corpus redigi potuerunt, quia, quum scelera ac facinora majorum per plures gentes aetatesque numinis ira et a Nemesi punirentur, poenae a liberis usque ad tertiam quartamve aetatem repetebantur. Quae vicissitudines culpae ac poenae, aliae alias excipientes, quum in mythis singularum gentium apparebant, tum Aeschylus trilogiam aliquam instituebat. Quumque partem singularem talium mythorum solam praecidere nollet, quippe quae sine conexu cum toto illorum corpore plane intellegi ac percipi nequiret, mythos plures inter se conexos ipsa re ad unam trilogiam revocavit. In quo genere, quum superbia impudentiaque lascivientes homines in legesque ac jussa deorum peccantes inducantur, ex quibus peccatis nova peccata alia aliique mentium furores suboriuntur, non minus quam in ceteris Aeschyli trilogiis ad ὕβριν summam rerum recurrere videmus, nec tamen ad illam unam. Namque accedit ἀλάστωρ ἢ κακὸς δαίμων γέννας sempiternus. Jam vero in hoc trilogiae genere plures partes requirebantur aliam ob caussam atque in Persarum trilogia, quum moris tralaticii prope ac consuetudinis esset, ut historia genuina cum mythis conjungeretur, conjuncta proponeretur spectantibus. Quamquam vero in hoc quidem alia est ratio Persarum, trilogiae gentilis alia, tamen in ὕβρεως vi, quam universae trilogiae fundamentum sane ac

principium esse in omnesque, quae hodie supersunt, trilogias maxime quadrare censemus, simile quoddam vinculum cunctae habent. Invenitur autem quum in multis Aeschyli sententiis aliis illa opinio hoc gentilis trilogiae genere expressa tum in Agam. 728—740. Loci similes sunt: Choeph. 304. 842. Eum. 894. Sept. 740—744.

Facinora igitur ultio subsequitur, sed poena sceleris alicujus commissi soluta, denuo peccatur, cupiditas novi sceleris committendi priore illo scelere augetur, atque adeo numen divinum ipsum, si quem odit, nonnunquam ad delinquendum eum incitat atque impellit. Rursus igitur in vitium inclinatur, in graviorem casum incurritur, major culpa contrahitur, dum extrema parte, deis intercedentibus ipsis, reconciliatos animos hominum expiatosque videmus. Quae omnia, trilogiae genere aptissime illustrata, vel maxime in fabulis gentium nobilium quum aliarum tum Labdacidarum et Pelopidarum cernuntur. Laius enim a Pelope ob filium ejus raptum devotus, jussis deorum contemptis, ipse filium gignit, pro qua ὕβρει daemon iratus suppliciis gravissimis non solum ipsum exagitat vexatque, verum totam ejus domum conflictandam esse statuit. Culpa igitur patris nondum soluta et tamquam renascens in filio caeca facinora procreat, filii illi propter patrem expulsum ab ipso devoti inter se interimunt. — Pelopidarum auctor fraude doloque imperium parit, subsequitur filiorum altercatio, flagitia, incestus, caedes liberorum, denique, ut nova culpa accedat ad priores illas tantas tamque graves, Atreus Thyestam trucidat, occidit Thyestiades Atridam, patrem uxore illius corrupta ulturus. Interfectorem igitur ulciscitur interfector, dum deorum propitia benignitate atque praesentia tota culpa radicitus expiatur.

Jam, etsi Oedipodia antiquissimum exemplum generis trilogiarum gentilium nobis restat, tamen hoc loco persequamur accuratius **Orestiam**, alteram fabularum gentilium compositionem, in qua trilogia rationem universam supra a nobis propositam, num vera sit, examinemus. Habemus

autem Orestiam unicum exemplum trilogiae justae usque ad nostra tempora servatae, quam quidem fabulam ultimam provectior aetate Aeschylus scripserit. In hac igitur tragoediarum compage, quam veteres ipsi Orestiae nomine significatam trilogiam vocant, de ea ratione, qua ille usus est, si recte riteque judicare didicerimus, hoc ipso judicio in aliis trilogiis intellegendis, quarum singulae tantum fabulae ad nos pervenerunt, uti nostro jure nobis licebit.

Sed, priusquam de singulis hujus trilogiae partibus verba faciamus, pauca universa de toto proponamus opere. Etenim viri docti saepe multumque originem Orestiae perscrutati atque investigantes, quam ob caussam Aeschylus eam fabulam commiserit, usque ad liquidum perducere studebant. A scriptoribus quidem veteribus traditum legimus, Orestiam actam esse anno 458, quo tempore Athenis magnae civium dissensiones atque discidia exstiterant, Pericle et Ephialte ducibus, qui legem tulerant eam, ut potestas atque auctoritas Areopagi angustioribus jam finibus quam antea coerceretur. Neque tamen quidquam caussae est, cur aut omnino rerum publicarum suique temporis in hoc genere rationem habuisse Aeschylum conicias, aut persuadere voluisse civibus, ut auctoritatem Areopagi a plebe tunc labefactatam rursus integram esse paterentur. Caveamus maxime illum errorem, ne magis quam decet in hoc argumento tractando a rebus tum publice Athenis agitatis Aeschylum pependisse putemus. De qua re fusius atque rectissime disputavit Guetzlaffius in dissertatione, quam scripsit de tragicis res gestas sui temporis respicientibus. (dissert. inaug. Regim. Pruss. 1865. p. 40.) Atque in eligendis trilogiarum argumentis Aeschylum recte contendamus plures rationes complexum esse animo, non in una semper eademque acquievisse. In Orestia illud quoque insigne est, in quo quidem viri docti summam hujus trilogiae positam esse censebant, quod lex casca ac jus a natura ipsa profecta cum humanitate pugnantia benignitateque deorum Olympum obtinentium, i. e. dei prisci generis cum novo illorum ordine certantes de-

scribuntur. At talis sententia etiamsi in Eumenidibus explanata illustretur, tamen totius hujus trilogiae summa judicanda non est. Sed quibus potissimum rationibus haec trilogia contineatur, quoque tamquam fundamento suffulta sit, perpetuo constanterque intuentes accuratius jam examinabimus ea, quae de trilogia universa supra exposuimus atque proponemus legentibus.

Agamemno igitur in Orestia oriundus inducitur de Pelopidarum gente devota ex temporibus Tantali, qui iram deorum superbia sua ac fraude (ὕβρει) contumacissime excitaverat. Quare Nemesis vestigia et totius gentis et regis ipsius subsequitur. Accedit, quod a Diana, quae vehementissime illi irascitur atque interfectum eum cupit, incitatus filiam suam immolaverat. Quam ὕβριν Agamemnonis a numine ipso incitatam δαίμων ex ὕβρει illa Tantali ortus punit, quamquam in fabula Aeschyli ipsa a superbia impietateque tantopere ille abhorret, ut temperantiam, benevolentiam pietatemque summam erga deos declaret. Clytaemnestra autem apud eundem poetam in pietate materna ob filiam a patre jugulatam, quia servam barbaram maritus secum ducit, in amore uxorio offensa describitur, illasque res tamquam excusandi facinoris caussa affert, quippe quae quasi ultricem a deis immortalibus electam se ipsa judicet. Quumque omnia scelera ac flagitia in hac trilogia ultione percita sint, per totam hanc fabulam ipsam quasi aestus ac fervor gravis fluctuare videtur, quo quidem procella aliquamdiu retinetur atque tempestas subsequens obtegitur, quod quum primis choris perplexisque sententiis exprimitur, tum Cassandrae vaticinationibus etiam apertius pronunciatur, quibus trilogiae ordo atque exitus quodammodo depingitur. Exeunte vero fabula fulminibus jactis omnique virtutis vel suspicione sublata funditus atque exstincta, pestis tamquam exsultans laetitia reque bene gesta discedens describitur. At ex nodo nodus nectitur, ex facinore facinus conflatur, ex flagitio flagitium suboritur, quae omnia jam in prima fabula a Cassandra vel per ambages vel apertis planisque verbis praedicuntur.

Eodem modo, quo in Agamemnone, res temporaque futura in **Choephoris** portenduntur, quae quidem fabula, etsi inter utramque tragoediam intervallum multorum annorum intercedit, tamen cum prima arte cohaeret. Alastor enim Agamemnonis filio jam adulto etiam atque etiam instat et fatigat, ut ab uxore perfida patris trucidati poenam ultionemque repetat. Sic ad facinus expiandum novum commmittitur facinus per ipsam ultionem effectum. Is alastor quam accomodatus fuerit ad familias gentesque in trilogia describendas, facile intellegas, praesertim si per illum unitatem et conexum totius trilogiae contineri tecum reputaveris. Quem quidem daemonem gentilem Sophocles, qui ipse trilogias non jam composuit, consulto deque industria in tragoediis suis omisit, quemque, si alicubi, in Electrae fabulae vers. 504 commemorare ei licebat. Sed tantum abest, ut in dramata sua hunc ille acceperit, ut eum Electra contemnat ac neglegat, quae atrocissimum patris interitum non tam expiare quam poenas ab adultera eaque matre pro patris morte repetere vult. In quo Sophoclem, sicut in aliis rebus multis, ad Homeri potissum ingenium atque consilium propius accedere apparet.

Jam vero, unde digressa est oratio, ad Orestam redeat Aeschyleum. Paternam igitur inter pietatem et maternam fluctuans variis religionibus distrahitur. Nam si patrem non ulciscitur, Erinyes illius eum persequuntur, quod pietatis legem sanctam, qua patrem ulcisci jubetur, violat, sin autem matrem trucidat, in eundem casum se casurum esse providet, quia matrem necare nefas est. Tum vero deus ipse facinoris auctor exsistit, cujus numine voluntateque impulsus matrem suam filius interficit. Nullae aut lacrimae aut preces aut sacra vehementissimam deorum iram exstinguere ultionemque illam atrocissimam avertere possunt. Ac primum quidem Orestes summa a choro laude gloriaque celebratur et omnis culpa placata videtur. At per ipsam ultionem facinoris nova miseria succedit, neque enim daemon gentilis, postquam a matre filius poenam sumpsit, scelus illud taeterrimum inultum remittit. Jam enim mentibus et consiliis chori commutatis,

vindicibusque deis ipsis Orestae uni praesentibus, alastor, qui usque ad id tempus ab illius partibus stetit, tum adversatus Erinyes monet, ne sceleris nefarii istius in naturae et cognationis sanctam legem commissi memoriam deponant. Orestes igitur a furiis vehementissime vexatus ad insaniamque adactus patria relicta profugus errat. Jam ad summum discrimen adducta fabula, qui futurus sit exitus, attentis animis expectamus. Homines quidem ratione consilioque carent deis freti, quos, quaecunque semel constituta inchoaverint, ea ad finem exitumque aequum ac parem adducturos esse illi confidunt.

Qui quidem finis affertur tertia **Eumenidum** fabula, in qua veteres deos contra novos pugnantes videmus, quorum altera pars misericordia gentis laborum cascorum commota Orestam defendit atque tuetur, pars altera illum insequitur. In judicio ipso iterum singulas quasque res ad unum tamquam momentum coactas intuemur, summo certamine orto, quod quidem plurimum refert, utrum futurum sit, ut matricida exagitandus furiis tradatur, an a gravissimo deorum immortalium consilio auctoritateque absolutus crimine omni liberetur. Disceptatur res et pro patre contra matrem decernitur. Dea enim ipsa, quasi propugnatrix caussae, quum omnium deorum animos mitigat ac placat, tum daemonis gentilis iram inveteratam infixamque lenit. Indicatur autem hic totius trilogiae finis jam Eum. versu 744, ubi Orestam, gentis istius devotae extremam subsolem, a tota culpa absolutum esse apparet. Verum ad majores etiam rationes trilogiae genus referebat Aeschylus, ad res divinas reipublicae sacraque sollemnia. Erinyes enim, quae Athenis religiosissimo cultu tamquam deae inferae colebantur, ἀτιμίᾳ illa sublata, ipsae placatae jam mutato nomine Eumenides vocatae numeroque deorum publice cultorum adscriptae omnia beneficia omnemque salutem sese civibus porrecturas esse pollicentur.

Reliquum est, ut, quod quidem et gravissimum est memoratu et difficillimum cognitu, **quae ratio intercedat inter**

ternarum illarum fabularum compages, diligentius accuratiusque perscrutemur. Etenim abhinc multos annos Fr. Schlegelius Vorles. üb. dram. Kunst I. 6 p. 94 ternas illas tragoedias ternos trilogiae actus vocaverat, quem virum, elegantissimi quidem judicii, sed non raro incautioris, plurimi viri eruditi secuti sunt, quo ex numero nominatim appello Welckerum, Gruppium, Droysenum, Nitzschium, Leop. Schmidtium (Symbol. philol. Bonn. I p. 226). Unde factum est, ut tragoediarum singularum partes choris binis inter se separatas appellarent Scenen.

Ac primum quidem videamus, quid nos intellegi velimus actum. Significat autem vox vernacula actus, ex agendo deducta, in re scenica, in quo potissimum usurpatur, partem actionis vel δράματος, neque tamen unamquamque, sed majorem eam, qua rerum eventorumque, consiliorum ac temporum, condicione priore conversa, alia ratio atque ordo exsistit. Longe erat diversus ab hac consuetudine usus veterum Graecorum, quippe qui ad canticorum spatia partes tragoediae majores digererent. Romani maximeque recentiores tragici, quorum ordinem Shakspearius ducit, in certos actus quinos tragoediam quamque distribuebant, ad quorum rationem ac similitudinem multi viri docti in Graecorum quoque tragoediis actus quinque statuere coeperunt. Qui quidem numerus non casu exstitit, sed ipsius artis legibus fixis atque aequalibus adstrictus est. Primo enim actu tragoediae res expositas intuemur, fusius productas altero, tertio in summum discrimen revocatas, conversas rursus atque deflexas quarto, extremo enodatas apte expediteque explicatas. Nostrates autem actus partes quasdam tragoediae ita necessarias judicant, ut, illis inter se excipientibus, alter sine altero nihil aut consistere aut valere, neque nodus singularis eventorum propriusque aut conecti in aliquo aut solvi possit. Jam igitur examinemus, num in veteres trilogias illud quadret. Quod si non ita est, certe actus trilogiae partes appellandae non videntur. Quapropter, si placet, quaeramus, utrum trilogiarum Aeschylearum singulae tragoediae

per se possint intellegi, an non possint nisi cum duabus alteris conjunctae.

Atque omnium primum hoc loco tria distinguenda videntur. Neque enim de primis trilogiae fabulis idem statuendum est, quod de secundis, nec de secundis idem, quod de tertiis. Namque fieri potuit, ut prima fabula alteram requireret insequentem, secunda et priorem et succedentem, tertia priores.

Jam vero ad **eas tragoedias** propius accedamus, **quae primum trilogiae alicujus locum obtinent.** Nec quidquam in hoc genere nobis occurrit nisi solae Agamemnonis et Supplicum fabulae. Quid? Hocine dramate ipso per se animi spectantium recte commoveri potuerunt? Equidem hoc nego. Etsi enim per totam tragoediam deos ὕβριν nequissimi cujusque punire dictitatur, tamen hoc ipsum non omnino in medio relinquere poetae licebat, sed in tragoediis subsequentibus fusius etiam explicandum erat. Nam in optima quaque tragoedia nodus quilibet conexus in eadem solvendus est, etiamsi necessse non est, ut omnes quodammodo exitus obtrudantur, id quod in Sept. fabula illustri exemplo intellegimus. Si vero hoc drama cum mythis alibi traditis comparaveris, facile percipi poterit, ipsum trilogiae nodum solutum esse. Quum autem in Supplicibus illud fieri non videamus, sequitur, ut per se haec fabula animos aut perfringere gravitate, aut suavitate perfundere nequeat. Juvenes enim illi Argos advecti, quum summa libidine inflammati virgines in matrimonium flagitent, quis est, quin, quid eventurum sit, quaerat? Nec actione nec sententiis ad res posteras pertinentibus quidquam prorsus de instituto illo doloque patris significatur. Atque omnino trilogiarum singulas partes, si extremam exceperis, subito atque repente interrumpere solet Aeschylus. Nam spectantium animos retinere ita atque intendere vult, ut, quid de personis illis futurum sit, suspensi jam atque erecti exspectent.

Nec aliter in Agamemnone factum esse videmus, cujus in exstrema parte Clytaemnestra et Aegisthus, scelera ista

ac pestes, re bene gesta, tamquam victores decedunt, ex quo ipso efficitur, per se fabulam illam stare non posse, etiamsi trilogiae partem eam esse perspicuis verbis ex antiquis temporibus traditum non esset. Nodus enim, qui ab initio in Agamemnone fabula conectitur, ultione a Clytaemnestra perfecta, explicatur, sed ita explicatur, ut quasi quandam pestis nequitiaeque laetitiam exsultantem potius quam placationem expiationemque scelerum intueri nobis videamur. Nec aliud quidquam reconciliatione illa efficitur quam, ut igniculus dissensionis apponatur cineri doloso, quo novorum bellorum semina magis magisque nascentia fotaque velantur. Nec solum illud drama singulare Agamemnō quasi nodo quodam singulari continetur, verum universa trilogia tanta arte composita est, ut, etsi proprio ac peculiari nodo illud obligatum est, tamen ipsas quoque trilogiae partes uno eodemque illo totius trilogiae nodo quodammodo adstrictas videas. Etenim Aeschylus minime fas duxit, uxorem maritum suum interficere, qui ipsam offendisset, sed a deis tamquam ultricem daemonem eam missam esse putabat, quae maritum necaret. Propter facinora autem illa scelera ex sceleribus nova emergere intellegi voluit, dum dei ipsi culpam omnem luissent. Quis est igitur, quin videat, nisi ceteris cum rebus conjunctum primum illud facinus ad placandos animos nihil valere? Agamemno enim apud Aeschylum summa est pietate bonitateque naturae, qui filiam jugulando scelus non committit, sed a dea ipsa irata ad facinus illud stimulatur. Ergo ne jure Agamemnonem ab uxore interfectum esse dicas, cujus culpa, si aliqua est, Μοίρᾳ potius attribuenda est quam scelus habendum. In tota trilogia daemonis illius gentilis vis ac potentia satis perspicua est, qui quidem in ipso Agamemnone interfecto non acquiescit; unde nodum initio conexum fine trilogiae non solutum esse intellegimus.

Aliud accidit in Sophoclis tribus illis tragoediis, quarum suis quaeque finibus certissimis artissimisque cancellis praeclare circumscribitur in eisque omnia certamina dissolvuntur.

In Oedipo enim Rege rex ipse fato obcaecatus vexatusque poenas dat, in Coloneo senex patiens miseriae, etiam atque etiam exagitatus laboribus aerumnisque, tandem ab illis liberatur, tertio dramate integra virgo, fratre sepulto, leges natura ipsa datas colens tyranni decretum neglegit. In his igitur dramatis nodi conexi omnes solvuntur, neque in eis, quasi coelum nubium caligine offusum sit, daemon gentis versatur, quem in Aeschyli trilogiis gentilibus invenimus, neque nodus rerum ipsarum consiliorumque universus exstat, quorum utroque tamquam communi vinculo tres illae tragoediae inter se contineantur in unumque quasi corpus colligentur. Et certe aliae essent fabulae illae tres Orestiae Aeschyleae, si poeta ille voluisset per se singulas satis valere. Quid? In Sophoclis fabulis nonne id accidisse videmus, quippe qui Electram tragoediam per se absolutam esse cupivit, non cum alteris duabus ejusdem argumenti tragoediis conexam? Eamque pro ingenio suo ita instituit, ut corpus totum suis certisque finibus circumscriberet. Sophocles igitur daemonis gentilis vim et gravitatem, quae apud Aeschylum vel summa erat atque insignis, artioribus concellis restrinxit. Idemque Orestam nobis proposuit ad Homerici similitudinem accedentem, qui patrem ultus, matre interfectrice punita, laudem gloriamque parit maximam. Chorus exeunte fabula omnem discordiam in domo Pelopidarum jam esse placatam profitetur. Unde Electram fabula altera sequi non potuit, Aeschyli Eumenidibus similis quodammodo atque affinis. Electram enim Sophoclis cum Choephoris comparantibus nobis statim magna illa in compositione utriusque fabulae diversitas occurrit. Namque etsi in Electra eodem modo quo in Agamemnone significatur, filium adventurum esse ad poenam mortis paternae a matre repetendam, in Choephoris tamen et saepius audimus, qui scelus aliquod commiserit, eum poenam certissimam daturum esse, et Orestam a furiis vexatum exagitatumque spectamus. Aeschylum igitur prioribus suis ad posteriora dramata transitum parasse apparet, quod quidem minime in Sophoclis fabulis fit, apud

quem omnis nodus in aliqua fabula conexus in eadem dissolvitur. Aliter vero in Choephoris, in quibus chorus interrogat:

ποῖ δῆτα κρανεῖ, ποῖ καταλήξει
μετακοιμισθὲν μένος ἄτης;

Quid? Potestne fieri, ut poeta bonus artisque suae peritus dramatis per se absoluti exitum tali modo instituat? Posse illud negandum videtur, nec vero Aeschylus aut Sophocles id fecerunt, quorum omnes tragoedias videmus firmissima unitate contineri. Secus quidem de Euripide sentiendum est, cujus ad similitudinem nostra norma tragoediae propius accedit quam priorum tragicorum; nam fit, ut ille quidem in dramata sua inserat, quae cum toto fabulae corpore minime cohaerent.

Quae quum ita sint, Agamemno tragoedia sola nec satis valere nec perfectum absolutumque opus esse potest, quod quidem esse ipse poeta non voluerat. Atque haec tamquam recentior fabula quum multo artius cum alteris duabus cohaereat quam in Persarum trilogia fieri illud videmus, eam facile ad conjecturam adducimur, Aeschylum trilogicam rationem diu usitatam etiam atque etiam firmioribus vinculis adstrinxisse, id quod vel maxime factum videtur in trilogiis quum gentilibus, tum vero in eis, in quibus una persona per totam dramatum compagem agens inducitur, velut in Prometheo.

Sed jam altero loco ad **secundas trilogiae fabulas** aggrediamur, quarum plures nobis reliquae sunt quam aliorum generum, dico Prometheum, Persas, Choephoros. Ac Persae quidem vinculis remissioribus sane et laxioribus cum duobus alteris dramatis cohaerent, quum Persarum fabula prima sit trilogice instituta, posteaque genus illud magis magisque adstringeretur ac premeretur. Omnium enim tragoediarum, qnas habemus, Aeschylearum Persae quidem potissimum per se ipsi consistere possint. Neque prorsus necesse erit fabulam illis praecedere, in qua mandata deorum praedicuntur, nec magis Darei vaticinatione fabula succedens requiri videtur. Attamen id est ingenii ipsius poetae, quod

elegantissime omnes illas res inter se consociavit, et multa profecto eaque praeclarissima deessent, si Persae soli in scenam essent producti. Quid? Nonne simile quiddam accidit in formis ac figuris? Si enim statuarum cohaerentium vincula disciderimus, nonne artificium exstinxerimus totum? Qualis esset Laocoon, si filii deessent, filii vero quales, si Laocoon? Nec minus quam in trilogia in hac quoque arte statuae inter se consociatae cohaerent, veluti de Niobidarum aut Aeginetarum caterva alia persona cum alia conjunctum aliquid habet similitudinemque quandam vel plus vel minus perspicuam atque insignem. At per se illae placere non possunt? Quamquam certe aliquatenus majorem in modum alia, alia in minorem sola quoque per se placere poterit, quoniam arte ipsa universa opera efficiuntur ad res externas quodammodo spectantia et res priores et posteriores, tamen cum aliis quaeque cohaerens magis intellegetur et plus tum demum sane valebit.

In Prometheo non idem fere fit, quod in Persis. Ac praegredientem quidem fabulam omnino minus desiderari censemus quam subsequentem, quum poetae, qui ad populi universi ingenium moresque apte scribentes in memoriam multa revocare debent, quo magis rerum conexus ordoque perspiciatur, in posterioribus fabulis multa de rebus praeteritis iterum pronuncient atque adeo tertium. Attamen etiam atque etiam monendum videtur, vim et effectum demum totius trilogiae conexu consequi posse poetam. Majorem in modum Prometheus fabulam succedentem desiderat. Poeta enim, quo magis animos spectantium intendat, subsistit ac rerum instantium progressum suspendens finem fabulae imponit, quam tamen altera sequatur oportet, id quod vel maxime in Prometheo et Supplicibus accidit. Certamen inter Jovem et Prometheum, quam summam hujus trilogiae esse apparet, etsi quodammodo pars ejus in Vincto conficitur, tamen, quum majore poena Prometheus afficiatur, in dramate illo minime solvitur, sed in Soluto, quia Prometheus in summum exitium dejectus superbire non desistit. Adde, quod antea jam ho-

nores suos futuros vaticinatus erat. Nonne alium exitum exspectamus? Qua de caussa contendimus, Prometheum Vinctum posteriore fabula excipi oportere. De Choephoris vero non habemus, quod addatur ad ea, quae supra jam disseruimus, praesertim quum res valde similis sit Agamemnoni, quo etiam minus Choephori per se absolutae esse possunt, nec finis hujus dramatis placatione animorum atque enodatione adducitur.

Restat, ut de **tertiis trilogiarum fabulis** pauca adjungamus, de quibus minime longa erit disputatio. Neque enim aliud quidquam facere possumus nisi, ut repetamus, poetas res praeteritas saepius pertractare, quo factum esse, ut res praecedentes exilius paullo absolverentur. Verumtamen conexu demum trilogico momentum ac gravitas totius rei satis perspicitur. Certamen enim deorum in Eumenidibus intellegi non potest, nisi caussas ejus cognoverimus, quod ipsum de Septem illis quoque dicendum est.

Non idem igitur in omnibus fabulis accidit, sed plus minusve altera fabula alteram, excipientem eam, desiderat, priorem non eodem modo ac posteriorem. Quapropter duae partes trilogiae priores minus in se ipsae niti possunt quam tertia, in qua tamen non pauca ad priora tempora referuntur. Tum vero ex poetae voluntate nonnullae fabulae magis quam ceterae per se ipsae eminent, quod quidem in Persis usu venire non negarim. Nodi autem singuli nonne in partibus trilogiae singulis solvuntur? Majore amplioreque nodo trilogiam quamque contineri, minore tamen atque leviore singulas trilogiae partes supra jam diximus. Quid? In Agamemnone certamen illud Agamemnonis et Clytaemnestrae nonne quodammodo conficitur atque absolvitur, in Choephoris non Clytaemnestrae et Orestae, in Eumenidibus non deorum antiquorum et recentiorum? Quid vero? Ceterae tragoediae, Septem, Supplices, Prometheus nonne omnes fabulae, nodo suo quaeque, continentur singulari ac proprio, qui, quamvis totius trilogiae nodus minime explicetur, intra fines suos tamen solvuntur? Tragoediarum igitur ter-

narum quaequae trilogiam efficientium pars catenae utique tamquam et est et habetur, et quae, etiamsi per se ipsa quoque quodammodo totum corpus idque parvum appellari potest, tamen re vera judicanda est pars. Pariter tragoedia suo quaeque nodo continetur, qui tamen nodi ex toto demum trilogiae circuitu plane intelleguntur.

Sed haec quidem hactenus. Jam ad quaestionem nostram redeamus perscrutaturi, num recte partes singulas trilogiae vocare possimus actus. Effecisse jam nobis videmur, partes singulas trilogiae per se satis valere jure nequire, quamquam, quum suum quaeque nodum solvat, liberioribus cancellis utitur, qua licentia prorsus id, quod nos Act vocamus, caret. Pars igitur trilogiae medium quiddam inter tragoediam suis finibus circumscriptam et actum putanda est, cum illa nodum singularem communem habet, cum hoc conexum cum alteris totius corporis partibus. Nam differentia spatii longitudinisque inter hoc utrumque omissa, actus rerum necessitate cum ceteris rebus conjunctissime cohaeret, nec certamen in actu uno positum est, sed per omnium actuum compagem unus nodus pervagatur. Ergo vocem illam Act reiciendam censemus quum in Aeschyli trilogiis, tum in universa arte tragica Graecorum. Atque utinam viri docti ne jam eas res eaque vocabula ex nostris temporibus in priora traducant, quae prorsus aliis condicionibus aliisque rationibus nituntur.

Nec vero Aeschylus solus trilogias produxit. Quemadmodum enim fere fit, ut clarissimum poesis magistrum multi sequantur, qui ad exemplum doctoris ipsi eandem normam retinent atque amplectuntur, sic in Aeschylo accidit, cujus rationem secuti **multi tragici trilogias dare solebant**, sive discipuli sive alii sectatores liberiore modo usi. Nec tamen multa ejusmodi trilogiarum nomina memoriae prodita sunt, multo minus de fabulis ipsis quidquam restat. Hos igitur trilogias, vel quemadmodum scriptores veteres Graecorum volunt, tetralogias conscripsisse scimus, quo in numero invenimus Polyphradmonis Lycurgiam anno 467 actam (cf. arg.

ad. Sept.). Tum tetralogiam Philoclis nomine Pandionidem anno 429 doctam schol. Aristoph. ad Av. 282 memorat, in qua ὕβρις Terei in Procnam et Philomelam, Pandionis filias, describitur, quam materiam Aeschylus ipse pertractavit. Meleti Oedipodiam affert schol. ad Plat. apol. p. 18 B. anno post mortem Sophoclis et Euripidis 405 commissam, et illud quidem ad Aeschyli sane exemplum, qui ipse Oedipodiam composuerat. Aelianus denique in var. hist. II 30 mentionem facit Platonis tetralogiae, quam adolescens instituerit, nec tamen illa res satis constat. Harum igitur trilogiarum nomina universa, ternas fabulas complexa, tradita sunt, id quod in ceteris non accidit, apud Aeschylum vero in Orestia et Lycurgia. Quamquam veri simile est, omnes vel plurimas trilogiarum compages communi nomine appellatas fuisse a poetis, quae nomina fere omnia, quum a scriptoribus non memorentur, deperisse casui tribuendum est.

Atque haec fere habui, quae legentibus de Aeschyli trilogia exponenda esse arbitratus eram. Ut vero, quae per spatii ac temporis angustias hoc loco uberius mihi fusiusque proponere non licet, summatim quidem persequar, trilogiae genus rejecisse et quaternas fabulas, per se suisque finibus quamque, absolutas semper docuisse censemus Euripidem et Sophoclem, quem quidem Schoellius trilogias non minus quam Aeschylum composuisse sine argumentis, verum solis figmentis ineptеque contendit. Sed refutare illud longius, praesertim quum nuper jam Leop. Schmidtius (Symbol. philol. Bonn. I.) scite de hac re disputaverit, eo facilius hoc quidem tempore supersedemus.



VITA.

Fridericus Ferdinandus Eugenius Rademacher natus sum in oppidulo Darkehmen Borussiae orientalis die III mens. Jan. MDCCCXLIII patre Friderico, matre Emmelina e gente Dill, quam vivam adhuc veneror, pater vero dilectissimus jam abhinc XII annos praematura morte ereptus est. Fidei Evangelicae addictus sum. Literarum elementis in ludo oppidano imbutus, mense Aprili MDCCCLII, quum parentes Regimontium emigrassent, a directore doctissimo atque humanissimo Ellendt in sextam gymnasii Palaeopolitani classem receptus sum. Decem annis post cum maturitatis testimonio dimissus mense Octobri MDCCCLXII a prof. ill. Rosenkranz t. t. prorectore magnifico Academiae Albertinae civis factus in philosophorum ordinem inscriptus sum.

Docuerunt me inde per unum annum prof. ill. Lehrs syntax. Graec., interpretat. Aeschyli Eumenid., Horatii satir. et epist., Persii satir.; prof. ill. Friedlaender antiquitat. Roman., descript. Hercul. et Pompej., topograph. Romae, rationem quae inter artes veter. et recent. intercedit, interpretat. Plauti Mostell., Tacit. Annal.; prof. ill. Rosenkranz philosoph. historiae, introduct. in philosoph. et logic., poeticen.

Tum Berolinum me contuli, ubi per unum annum disciplina usus sum multorum virorum doctissimorum. Docuerunt me prof. ill. Boeckh antiquit. Graec., doctrin. metr., interpretat. Demosth. orat. in Meidiam; prof. ill. Haupt interpretat. Horatii satir., Tibulli, Velleji Paterculi, Aeschyli Prometh.; prof. ill. Mommsen historiam imperatorum Romanorum, interpret. epist. Plinii; prof. ill. Steinthal histor. grammat. apud Graecos, mytholog. comparat; prof. ill. Müllenhof interpret. Taciti German.; prof. ill. Lepsius histor.

et antiquit. Aegypti; prof. ill. Droysen encyclopaed. et methodol. historiae., histor. inde ab anno 1775; *prof. ill. Ranke histor. medii aevi; prof. ill. Massmann paedagog.; prof. ill. Werder psychol.; prof. ill. Köpke de Lessingio; prof. ill. Piper encyclop. theolog.; prof. ill. Gneist histor. constitut. Anglican.; Dr. doct. B. Meyer de Fichtii philos., quaestion. paedagog.*

Tum Regimontium redux mense Octobri anni MDCCCLXIV iterum inter academiae cives a prorectore magnifico de Wittich receptus sum. Docuerunt me per duos annos prof. ill. Lehrs liter. Graec. hist., doctrin. metric., encyclop. philol., interpret. Aristoph. Avium, Thucydid., Hesiodi scuti Hercul. et operum ac dierum; prof. ill. Friedländer mythol. Graec., histor. antiqu. art., exercitat. epigraph., interpretat. Martial., Catull., Plauti Trinumm.; prof. ill. Rosenkranz ethicen, aestheticen, histor. philos. recent. German. inde a Kantio; prof. ill. Schade interpret. monum. Goth. et Theot., Walth. de Vogelweide, grammat. Theotisc., histor. ling. German., metric. Theotisc., carmen de Nibelungis, poesis Theotiscae histor.; prof. ill. Herbst exercitat. Francogall.

Quibus viris neque minus illis, qui antea literas me docuerunt, omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque gratias habebo.







